rabilis:debuit enim ſubdere,*non vult crebro ſcortari liberos ſuos*:ſed retulit numerum ad vniuerſitatem patrum.Et in ſingulari tolerabilē poſuerat, quoniam ſunt rariores.Ita mutat numerum in Eunucho,*Eunuchum porrò dixti velle te: Quia ſolæ vtuntur his reginæ.*

Quem locum alibi oſtendimus è philoſophiæ fontibus deriuari. Pluralis enim numerus eſt, quaſi dicat de ſpecie in communi. Singularis, quia de hoc ſolo Eunucho. Ariſtoteles & Theophraſtus ſua vterque in hiſtoria frequentiſsimè vſurpant hanc tranſitionem. Quam mutādi vel rationem vel licentiam hoc loco aliquis minus licere cùm putaret:ſublatis illis verbis,*paulò qui eſt homo tolerabilis*:quæ vitia prohiberent patres in noſtra lectione,ea fecit patrare filios in ſua.

Antequam exeamus ex hac ſcena,laudabitur lepos ac venuſtas eorum verſuū in Andria : in quibus clauduntur iambi trochaica dipodia:quā miſtionem in extremo primi declarabamus:

Adhuc Archillis quæ aſſolent, quēq; oportet
Signa ad ſalutem eſſe,omnia huic eſſe video.
Nunc primum fac iſthæc vt lauet.pòſt deinde
Quod iuſſi, ei dare bibere,& quantum imperaui.

HÆc ſunt,Sylui fili, quæ laborioſiſsima opera excuſsi tibi: maioré-ne tędio tot ineptiarum, an metu ne pari inſcitia caperère, neſcio. Omiſi verò multa carmina cōtrouerſa,aut ambigua,aut vaſta: quæ etiam ſi ad ſanitatē redigantur : at cura hac noſtra, vel ſic,longè minora ſunt. Verùmenimverò neque tibi puerilia videri debent, qui iſta ætate literariæ laudis aditum omnem explorare iuberis ab indole tua,quæ magna ac multa promittit nobis:neque mihi plebeia adeò, in quibus(omiſsis ſtudiis grauioribus) tantos illos viros elaborare non pœnituit.Qui ſi quibus in locis lapſi ſunt,vel hoc ipſum eis debeatur, quod nos excitarint ad veritatē. cuius ſplendorem, fili mi, quouis nomine chariorē habere debes. Magnum fuit Eraſmi nomen,præſertim in Germania literis ipſis renaſcentibus:maius futurum,ſi ille minor eſſe voluiſſet.nunc fretus ingenii ſui magnitudine, multa tractare aggreſſus eſt,paulò minus accuratè. Ita à nominis claritate profecta confidentia præcipitem illum egit, non ſine diſpendio multorum ſtudioſorū : qui omnes cùm docti eſſe vehementer exoptarent,pauci autem laborarent:omiſsis ærumnis,quæ ipſis in antiquorū aſsiduis lectionibus multæ exequendæ erant, compendium nacti eorum,quæ Eraſmus in vnum coegiſſet, ei de omnibus fidem ita habuere, vt etiam extantibus priſcorum monumentis, vnde ille vel aliquando non bona fide accepiſſet, Eraſmi nomen non pro teſte,ſed pro iudice ſtatuant in medium: atque alieni laboris,non tanquam beneficiarium,faciant authorē.quare vobis omnibus eius nominis ſtudioſis,inter quos me quoque ſanè non nolim,commodè oſtēdimus atque opportunè,quid cuiuſque iudicii ſequeremini. Quòd ſi quis(vt eſt ingeniū quibuſdam barbarum ac ferum)pertinacius negligat,foueátque ignauiam ſuam: te ſaltem habeamus ab erroribus eiuſmodi vindicatum.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI
LIBRORVM POETICES
FINIS.

(2)

IVLII CÆSARIS

Scaligeri viri clariſſimi, in librum de Inſomnijs Hippocratis commentarius auctus nunc & recognitus.

Ad Ioannem Aleſmium Senatorem Burdegalenſem.

M. D. LXI.

R. CONSTANTINVS.

Ἡ δ' ἐμὶς ἀλ' ἐσήν παιδιμεὶ μιπάλαδζ
Πᾶσαν ἀλιδείλω: νέμεσις ὀφδόν θ τε κ' ἀπέχω.
Ἐ'ςι παλαισμοσυνὴ μαχαιέ'τους μορμολυκειῶν.
Τίς γὰρ, ὅστ μὴ ἄφεων, οἰχομένοισι μεγαίρει;
Οὗτος ὁ Σκιλαγὸς ἠ τ' ἔνομα ἠ τὸ δόπλιν
Ὡ'ς Καῖσαρ πρότερος δι', ὃς ἀοίδιμος ἔπλετο πάντῃ
Ἡ'ν δίχ' ἠνορέων ἀρετῶν τ' ὑπερέοχον ἄλλων:
Οὗτος ὁ Σκιλαγὸς δὲ μετέπρεπεν ἐν μουσίῃσι,
Ζωὸς ἐὼν, πᾶσιν: πάντας τ' ἀπεκαίνυτο τέχνῃ
Μουσάων, ὃς ἀοιδὸς ἔλιν μελίγηρις. ὁ κιθάρ
Πάντας ἀκεστείῃ πέει, ἠ σοφίῃ ἐνέκυσε.
Μάρτυρες εἰσὶν ἐμοὶ συντάγματα σιγαλόεντα
Καὶ τόσα τῷ πάλιδες, ἄλλῳ δ' ὅσα μηδὲ τις ἠὴρ
Τοὔξ: πολυμαθίῃ κ' εἰ δύῃσι πρεσπίδεσιν.
Τίς χρεὼ πολλὰ λέγειν; Δημόκριτος ὥσπερ, ἔνηγε
Παστοδαής. Αὐτὰρ γνώσεως ἀγλαὰ τέκνα,
Σύλβιον ἐν πρότοις παῖδίον αἶνον ἐλόντα,
Τέδνικεν δ' ὀγέσον σοφός: ἐς τέλος ὀλβιοδαίμων
Εὐσεβίῃ ἐπέεσσι ἠ ἔργοις ὡμολόγησεν.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

Ioanni Alesmio Senatori Burdigalensi, S.

QVAS olim tibi miseram mearum primitias lucubrationum ex eo medicinæ cultu, qui affinis est naturalium disceptationum, nuper ab optimo viro atque doctissimo Iano Maumontio appellatus eas vt reuiserem, feci, nec tam necessariò quàm libenter: nempe magis vt amico meo summo, ac de me optimè merito gratificarer, quàm quòd in illo quicquam meminissem obnoxium accuratiori castigationi. Si quid tamen labeculæ vel incuria nostra, quæ toti humanæ speciei perquàm est familiaris, vel librariorum negligentia aspersum esset: imò verò etiam si quid non esset, tamen quoniam ipse esse suspicaretur, petebat vt recenti opera liceret sibi securiore animo hanc typographis mandare nouam editionem. Mihi ergo quæ hoc longo lectionis vsu, frequentique rerum exercitatione digna visa fuerant, eorum ad formam direxi pauca: cætera verò, ita vti erant, relicta sunt. partim quòd nullo modo contemnenda videbantur: partim vt & tu, & studiosi omnes ex illorum priorum atque horum posteriorum comparatione cognosceretis, ecquid in probando & repudiando iudicij maturior ætas attulisset. Hunc verò librum qui semper tuus fuerit, vt in noua editione ad alterius nomẽ recentiorum more transferretur, neutiquam tuis virtutibus, meáque tuorum erga meos memoria beneficiorum, denique sanctissimo amicitiæ nostræ iure, dignum arbitratus sum: Neque existimaui liberos meos semel adoptatos, toties tot in alienas familias transcriptos vllo vel suo, vel meo merito pati capitis diminutionem. Sed tamen viri illi doctissimi atque optimi suas quoque habent, quas foueant rationes. Quamobrem mihi illos, neque de eo quod factum est iam admonendi ius, neque de eo quod iure tuentur, obiurgãdi vllus est relictus locus. Sed illa vnica ratio, qua mihi persuadeam satis esse, si officiorum continuatione constantis animi retineam opinionem, quam gratissimo ac fortissimo cuique viro esse oportet in prima commendatione. Vale.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI
PRÆFATIO IN LIBRVM DE INSOMNIIS
Hippocratis, ad Ioannem Alesmium regium Consiliarium in supremo Senatu Burdigalensi.

FREQVENTIVM ac diuturnorũ erga nos tum magnitudo, tum memoria officiorum tuorum, Ioannes Alesmi, tantum potuit: vt non solum me non ingratum ostenderet, sed etiam faceret audacem. Neque enim debuit tantarum splendor virtutum, quarum præsidiis muniremur, carere debitis laudibus, cuius merita re compensari nequirent. Neque potuit tam insignis animi tui vis quicquam efficere, quod vel moderatissimum quenquam non excitaret. Quare cum propter excellẽtem nostri seculi peruersitatem, quæ iam omnia penè vetera studia aut subuerterat, aut etiam damnauerat, collegissem me, mihi vt viuerem: & suppuderet, si posteritas nunc vixisse resciret aliquando, aut ab omnibus penè dissentientem, id quod esset fortunæ perditissimæ: aut frustra ambitiosum, quod erat animi infelicis: tu virtute tua cum imbuisti me iis exemplis, quibus non pœniteret me extitisse: tum beneficiis affectum impulisti, vt aliquid saperem, quod ab studiis tuis non abhorreret. Nam qui primas ciuilis sapiẽtiæ tibi partes comparasses, philosophiam, aliáque verę vitæ ornamẽta non contẽpsisses, nomen nostrum dignitate tua illustrasses, opes authoritate auxisses: is mihi visus es, cuius authoritati eædẽ opes, dignitati homen, philosophiæ nostræ decora sapiẽtiæ deberentur. Igitur cum è secessu quodam mentis in hanc quasi rempubl. me deintegro retulissem, deponendũ in sinu tuo metum illum existimaui, quem in philosophiæ luctu valde sanè metueram: ne tanta in viuendi licentia, ac potius libidinum dominatu, futurus essem superstes integriorum literarum. Nam cui placebimus, Alesmi? aut quis nobis fauebit istorum, quorum in manibus, atque vtinam verò in manibus, non etiam toto in pectore, solus aut Lucianus, aut Aristophanes est? Non tam hercule propter orationem, cuius nitorem aut æmulari nesciant, aut nequeant imitari, quàm propter acerbitatem sententiarum: si modo sententiæ eæ, ac non venena sint vocanda. Quorum igitur impietatem imitentur, eorum exitum non exhorrescere? Nimis securè viuimus hodie, atque adeò otiosè, ne dicam solutè, mi Alesmi. Hanc vocamus libertatem. Quæ si ita est, malim equidem me quiduis esse belluæ, cui sanè liceat sine criminis obiectione, quod nobis propter hominis nomen saltem non licet, & facimus tamen. Ac quanquam nonnullis per ignauiam vitam trahere videbamur, propterea quòd procul à Republ. & partibus animum abduxeramus: nobiscum tamen eramus nos, nec soli, nec penitus non soli, vt sine contentione horum temporum seruitutem declinaremus. Itaque difficillima in re cum vniuersam intelligentiæ meæ vim excuterẽ, in

in periculosissima, optimum quenque exitum exoptarem: in perditissima, pessimum expectarem: quòd efficere nequibam, vt istis quicquam persuaderem, omisi. Nam eorum inanitatem, qui nullam haberem orationẽ qua explerem, silẽtio præteribam: sed eo silentio, quod apparatum esset ad suiipsius aliquando reddendum rationem. Etenim quæ tempora ad illorum coniurationes atque potentiam colendam ponere cæteri cogerentur, ego clandestina opera ad philosophiam transmittebam. Quid enim præterea facerẽ, cum nemo interueniret huic meæ calamitati, quæ me in illud quasi exilium quoddam abdidisset: cuius ego præsidio ad hanc culpam sustinendam confirmarer? Atque nunc quoque de metu illorum languerem, vel etiam iacerẽ, Alesmi, nisi vestrum aliquot authoritas subuenisset mihi. Quorum consiliorum summa illa extitit: cum tantopere sibi placerent illi, vt hæc nostra despicatui haberent: neutiquam fraudi futurum nobis, si inter tot tantósque tractus ingeniorum mihi quoque aliquod famæ spatium constituerem: vt non iam dissimulatione, sed apertis iudiciis animi mei pristinum tenerem institutum. Erant mihi tum plurima ac præclarissima in manibus monumenta: ea protuli ac produxi nomine meo. Ibi istis frigere ac torpere animus: hærere vox: dissimulationem, qua maximè cum valent, tum regnant, non posse tegere. Mutaui consilium: iisdem eodem tempore, aliorum nomine, quos nolo nunc appellare, ostendi nonnulla haud paulo deteriora. Illi illico obstupescere: deierare, nihil politius, aut absolutius excogitari potuisse. Sensi hominum animos non nunc hoc primum sapere ac niti, vt æquales suos pro potioribus nolint agnoscere. Inter cætera, librum De insomniis, Hippocratis, Latinum factum, atque auctum commentariis commonstraui. Rogant cuius sint operæ. Ego pro me tunc satis officiosè vbi plurimum essem mentitus, conieci eos in stultissimam lætitiam. Quam tandem vt agnoscant, mitto ad te Alesmi, eum librum: non vt solent ii, qui aliquid dicant. Quid enim tibi, aut afferam, aut committã noui, quod tanto antea in teipso non habeas perfectum? Sed eum vti emẽdes, qua opus est: vel totum, id si tuo iudicio meritus sit, atque ita ex mea dignitate videatur. Nam cum fuit periculosum mihi, apud istos tractare alia studia, quàm quæ ipsi amplectuntur: tum penè interierit nomen nostrum, si hanc possint vrgere occasionem labefactandi propositi mei. Atque illud quoq; me profectò plurimum mouebat, qui homines verba vetera, Latina, proba, in religionem nostram, cui vni se suáque omnia deuouisse videri volunt, recepta aboleuerant, alia substituerant: quid his quæ ipsi damnant, monumentis facturi sint, si quid extra suum Ciceronem deprehendent? Verum pro Cicerone quid egerimus, quæ odii, atque inuidentiæ tela passi sumus: quos temeritatis impetus obstinatè exceperimus, fortissimè retardarimus, iam vulgò sciunt: pro me verò etiam Cicero sentiat, si hæc, quæ sum loquutus loquatur ipse. Neque verò mirum est: hæc fœdissimi otii mancipia obtrectare verborum laudi, qui res contemnant ipsas. Sed tu qui tam iudicii nobilitate, quàm morum integritate præditus

non ſolum æquo animo audis ab aliis, ſed etiam libenti docere potes philoſophiam: & hæc ſcripta cum forenſibus noſtris comparabis, & veniam non modò dabis mihi, verumetiam petes pro verbis ipſis. Quorum verborũ pudor quantus eſt, vt in alienas ſedes non inuadant: tanta eſt fortitudo, vt de ſuis ſeſe deiici non patiantur. Tibi ſeſe dant, tibi loquuntur, non vt doceare, ſed vt alios doceas hoc, Nos etiam ab iſtis contentioſis diſputatoribus intelligi voluiſſe, vt doceremur.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI IN LIBRVM HIPPOCRATIS, DE INSOMNIIS, COMMENTARIVS.

SVBIECTVM huius libri, homo eſt: finis, ſanitas: ratio formalis, præſeruatio: modus præſeruationis, præcognitio valetudinis humanę, quod Prognoſticon Græci vocant. Via & ratio indagandæ præcognitionis (quam Methodum illi nominant) eſt à poſteriori, ſcilicet per ſigna, quippe à ſomniis: quare libri titulus is fuit, De ſomniis. Per ea enim agnoſcit Hippocrates humanam valetudinem, vt præſeruetur. Igitur non rectè fecit Caluus, qui cum additamento ſic inſcripſit, De lãguentium ſomniis. Maxima enim libri pars oſtendit imminentes, non factos morbos. Languor nanque ſi indicatur futurus: nondum eſt. Ex his ſatis conſtat, librum hunc referri ad illã medicinæ contemplationem, quæ ob ſeruanda corpora comparatur. Methodi rationem aſſignat ipſe: Quoniam, inquit, anima ſoluta corporis functionibus per ſomnum, ſibiipſi reſtituta: hoc eſt diuinis principiis, quibus eſt conſtitutta, cohæret: trahítque inde ſimilitudinem, quam per viſionem repræſentet, coniungens originem ſuam illam cæleſtem ab ipſis mundi elementis cum fini ſuo: qui eſt hominem informare. Eſt enim anima, media natura quædam, inter æternas res, & corruptibiles. Media verò ſic pote, neque alio modo ipſa quidem æterna eſt, at corruptibilibus coniuncta, duo extrema, quaſi ſequeſtra, ſuo conplectens nexu. Si igitur ſoluta, non quidem corpore, ſed corporis brutis officiis: puta ambulandi, ſedendi, currẽdi: quaſi in receſſum quendam, ac potius portũ ex his ſubducta tempeſtatibus, tota ſibi ſua eſt. Cognoſcit quæ intus ſunt, in corpore ſcilicet. Ibi tum quibuſdam quaſi coloribus, figuríſque ac quantitatibus pingitur earum rerum, quas intus nacta eſt. Quare his affectionibus ſatis opportunè ſtatũ corporis explicat. id quod Hippocrates ipſe ſibi in tertio De ratione victus aſſentiens, repetit: Quibus, inquit, corpus afficitur, ea clauſis oculis videt animus: ac iam in eo eſt, vt ægrotet. quod malum ex proximis percipitur indiciis. Quæ res cùm à ſapiẽtibus perpenderetur: non ſolùm ab hoc diuino viro, Galenóque, atque aliis compluribus tractata eſt ita, vt ad rem medicam accommodaretur: verumetiam eò progreſsi ſunt, vt diuinitatem quandam quoque profiterentur. Quod vt amplius cognoſcamus: quid ſit ſomnium, quótq; eius genera, ac potius modi, cenſeantur, intelligendum eſt.

Ac quanquam omiſit Hippocrates definitionem: quid ipſum tamen eſſet, non omnino omiſit: cùm recipere, colligeréque dixit animam in ſe ipſam. Nos autem è philoſophia accipiamus. Ariſtoteles ſomnium non ſolùm eorum quæ intelligerentur, dixit eſſe repræſentationem, ſed etiam quæ ſenſu perciperentur: propterea quòd in ſomniis ita verſemur, quaſi cùm videmus vigilantes, aut audimus, aut tangimus. Quæ euenire ſanè non queant, niſi ſenſuum vis interior aliquid afferat momẽti. Itaque refert omnia hæc ad communem ſenſum: cuius facultas intus communis vna, ſecũdum inſtrumenta ac poteſtates foris multiplicatur. Quod quùm legerent recentiores, qui legendo vt omnia colligant, quàm iudicando vt eligant, ſunt attentiores, vt ſenſibus rectè attribuêre, ita falſò ſuſtulêre ab intellectione. At multa ſunt opera intellectus in ſomniis: ratiocinatio, diſceptatio, cõſilium, deliberatio, etiam poeticæ exercitationes non pœnitendæ. Tum hìc Hippocrates ea proponit, quæ ad intellectum pertineant: veluti cùm vult ab anima iniri rationem curſuum ſtellarũ, atque alia talia. Ergo ex Ariſtotelis ſententia intelligemus ab extimis officiis ſenſus quieſcere: intus autem non ita: hoc autem vero in ſomno. nam eſt modus quidam ſomni imperfectus, ac quaſi dimidiatus, quum aut ipſi loquimur, aut etiam rogati reſpondemus, ſurgimus, ambulamus. Cuius rei rationẽ reddit Ariſtoteles in quinto De generatione Animalium. Somniorum autem rationem ad hunc modum conſtare aſſentietur, qui meminerit animam eſſe totam, & in toto, & in quauis parte. Quare nihil impedimento eſt, quin & intelligat, & ſentiat, aut quaſi ſentiat: ambulet, aut quaſi ambulet. Animę nanque ad multa officia, pro inſtrumentis, ſpiritus ſunt: voco ſpiritus vulgi more, tenuiores ſanguinis partes quæ aliis atque aliis delegatæ locis, obeunt munus quæque ſuum. Omitto nunc vehiculum

illud cæleste, quod tanquam sedes quædam animi ab Aristotele homini attributũ est. Siue igitur vehiculo, siue instrumentis illis retracta in aditus suos, secum habet etiamnum motus pristinos eorundem, ambulandi, ridendi, potandi, pugnandi, quibus motibus ita, vti antea, afficiatur: tum argumẽta præbeat illorum expergefactis nobis: nec dubitabit, qui intelliget, ex vertigine voluntaria, aut aliusmodi quum nosmet recipimus, quanquam sedemus: tamen adhuc versari videri nobis. Item à fluctuatione, quæ in salo, aut flumine fit, tametsi in terra constitisti, tamen existimes te vacillare. Sic rubras res vbi diutius intuemur, ad albas conuersi, eas putamus prioribus concolores. quandoquidem reliquias euentorum receptas in spiritus circunferimus adhuc. Sensio enim receptio, siue impressio est. Quamobrem visa hæc, siue audita, siue alia per speciem, cùm in sensibus insedêre, atque in memoriæ thesauro sese induêre, nocturnis appulsibus reddunt sese. Itaque & infantibus, quibus mens inconstans est, & iis qui satagunt multarum rerum, item temulentis, atque helluonibus, aut nulla somnia, aut confusa referuntur: propterea quod sensiliũ rerũ imagines perplexæ inter se, haud aliter corrumpũtur, quàm cùm citissimis versationibus rota circũducta, ibi nobis radii nulli percipiũtur. Quemadmodũ si multos cõfundas sonos, nullus tibi præcipuus erit: veluti is qui plures lapillos in stagnũ demittit, efficiet vt circulorũ orbes anfractus illos suos inter se impeditos consultent. Habes etiam historiam. Herodotus in Melpomene scriptum reliquit, in terra Africa populos esse, qui ad Atlantem incolant, eos nulla somnia videre. Quam partem Plinius quoniam laxius est interpretatus, eius verba ponam: λέγοντα δὲ οὔτε ἔμψυχον οὐδὲν ὁρᾶσθαι, οὔτε ἐνύπνια ὁρᾶν. At Plinius videtur somnia concedere, sed enim à nostratibus quæ sint diuersa. Sic enim in quinto scribit: Neque insomnia visunt, qualia reliqui mortales. Idem in decimo quum scribit, aliquos nunquam somniasse: vt addidit ex Aristotele letiferum esse iis, cùm primùm somnient, ita omisit nomina ponere. At ponit Plutarchus in commentario quo vestigat rationem desitorum oraculorũ, Cleonem Daulienſem, idémque credi solitum de Thrasymede Hereense. Causam autem recentiores cùm ascribunt corporis temperaturam, sanè latam nimis ineunt viam. Quid enim in nobis fit, quod à concretione corporis non proficiscatur? Sed ita accipiendum est, spirituũ torpore, aut hebetudine fieri, aut tenuitate, aut lubricitate, ita vt spiritus illico soluantur. Exẽplum addendum est: Si puer arrideat, statim vbi destitit, rugas diducit, vultus subsidet. si ætatẽ prouectiore rideamus, etiam absoluto cachinno diutius ridibundus vultus perseuerat. Sed & Plinius multis in locis quæ tollant insomnia, quæue leuent, ostendit: sicuti contrà, tum ipse tum Dioscorides, quæ efficiant lymphatica, mala, grauia, turbulenta. Sed iidem recentiores bis falluntur super eadem re. Nam cùm ex decimo libro Plinii verba illa adducerent: Infantes statim somniant. Et ex septimo historiarum Aristotelis illa: Infantes somniare manifestum est, sed serò memores fiunt imaginum. primùm, putarunt inter se eos esse contrarios: deinde frustrà conati sunt conciliare. Nam neque inter se aduersantur: neque isti rectè dissoluunt nodum sic: si propriè loquamur non somniare infantes: si impropriè, somniare. At Aristoteles dicit, δῆλον εἶναι ἐνυπνιαζόμενα τὰ βρέφη. Et Plinius addit, statim: tantùm abest, vt sint contrarii. Sed duo aduerbia, Plinianum, statim, & Aristotelicum serò: illud ad somniũ, hoc ad memoriam refertur. Non potuit autem ab infantibus ipsis exploratum id habere Aristoteles: sed collegit argumentum à potiori: nã si pueri non meminêre, tantominus infantes. His de causis somniorum genera alia alii describere: verùm omnes confuso homines iudicio: qui, quæ legissent, illico transcribérent: nihil apponerent de suo. Omissa igitur Macrobii, aliorúmque negligentia, ac præterea ineptiis Grammaticorum, sic partiamur:

Ὄνειρος Græca vox somnium significat, species illas scilicet, earúmque affectiones. Quam vocẽ prisci mortales à bene ominando fabricarunt. Ita enim dicebãt, ὄναιο ἐρῶν. Nam concisum fuit ὄναρ. Nostra vox simplicior, somnium: quasi quod somni esset proprium. Græca & ipsa, ὕπνος: vnde ἐνύπνιον, quod & nos insomnium. hæ appellationes vniuersum ambitum somniorũ communi significatu amplectũtur. Vnde Aristoteles ἀδυνόνειρον vocat eum, qui probioribus vtitur somniis: quoniam sunt etiam σκολιόνειροι, siue ψευδενίονειροι. Est igitur generis vox, quæ in boni, malíue distrahi possit differẽtias. Neque enim verum est quod aiunt, insomnium non esse nisi cùm is qui somniat, putat se videre vera. Nã neque ratio nominis petit, vt huc coarctetur: neque aut Cicero aut alii aliter sunt locuti.

Fit autem somnium, aut quo diximus modo, per eas species quæ in animam receptæ sunt: aut per principia diuinitatis, eiúsque cælestes cognationes. Ac primo quidẽ capite duobus fit modis: Aut enim ἀδυνόνειρος est, aut σκολιόνειρος. ἀδυνόειρος, cùm species, vti sunt, ita sese offerunt. Fit autem hoc à tribus causis. Aliquando ex animæ affectionibus, cura, metu, odio, lætitia: vt quod quis exercuerit interdiu, per quietem quum videt. Interdum ex corporis affectibus, puta ebrietate, inedia, pugna. Nonnunquã pro modo fortunarum, ab euentis: veluti, diuitiis, paupertate, exilio. Huius generis est, cùm dormire somniamus. Ipsa enim anima tunc in seipsam reflexa, contemplatur corpus dormiens. Hoc totum genus ἐνύπνιον Græci vocant: propterea quòd vt in re fuisset, ita ἐν τῷ ὕπνῳ reponeretur. Quare hæc partim physica dicuntur, ea scilicet quæ rerum naturam quasi euocant

cant, atque ei hærent: veluti cùm ignẽ suo motu atque calore, terram suo statu atque frigore somniamus. Partim syncramatica, cùm res naturales, non suapte natura, sed ex temperatura somniamus. Biliosus enim aquam calidam videbit tangétque in somnis. Hæc autem à recẽtioribus minus probè sunt explicata.

Σκολιόνειρος autem euenit, vbi formæ prodeunt terrificæ. Quapropter sæpenumerò contingit neque pleno somno, neque vera vigilia fieri. Nã cùm intus agitatio est, quiescere verè non permittit. Itaque contingit quod in tremore. Nam omnis nimium cùm tollis, vis nititur sursum, contrà premit pondus. ita tremor fit, vbi neque vera quies, neque simplex motus est. Tunc gemunt, loquuntur, respondent, vt diximus, stupidi consistunt. Hæc Græcorum nonnulli phantasmata appellare maluêre, nihilo prudentius cogentes magni vocem significatus, in angustum: id quod etiam fecerant, cùm ἐνύπνιον ad certam speciem adigerent. eo nomine vtitur Theocritus in Piscatoribus.

Alterum caput est, cùm defecata anima, per se ipsa agitat, aut per agnationes: puta dæmonas, cæteráque id genus, quæ à Plotino, Proclo, Iãblicho prodita sunt. Hoc vocant ὕπαρ Græci: vnde noster sopor: propterea quod corpus penè mortuum est, in anima totus homo constitutus, atque ipsa in sese reducta, recepta, collecta. Eius vocabuli originem & causam intelligamus: quoniã res vera subsit: ὅπ τὸ ὂν ὄντως ὕπαρ ἐστι. Homerus in vndeuicesimo Vlyssea, ὕπαρ, οὐ ὄναρ esse dicit: non quòd res ipsa visa esset, sed quòd vera portenderẽt rerum imagines. Nam aquilã Vlyssi comparat: anseres autem procis. Theocritus in Europa pro vera visione. τὸ γὰρ ὡς ὕπαρ εἶδεν ὄνειρον. Ita Cicero multa narrat in libro de Diuinatione primo: & Socrates apud Platonem Critoni recitat somnium, quo verũ præuidit. Alia præterea multa habeas non solùm ex Valerio Maximo, sed etiam ab eodem M. Tullio in primo de Natura deorum. Galenus quoque nonnihil experientiæ nocturnis per quietem præceptionibus sibi partum scribit. Et Aristides orator dicitur curatus somniorum indicatione. Iamblichus in libro De arcanis initiis, memoriæ prodidit, ægrotos somniorum integumentis captare curationes consuetisse: Strabo in octauo, aduersa affectos valetudine in Epidaurici Æsculapii templo pernoctare solitos. Hoc genus etiam ὄρεγμα vocitarũt: quasi dicas, visionem: perinde atque sensu ipso vero percipias: nihilominus quàm cùm vigilares. Herodotus cùm alibi, tùm in Terpsichore appellat semel atque iterum, ἐμὲν ἐνυπνίου, pro eo quòd ad hanc diuinitatem pertineret. alii autem φάσμα: quo nomine inscripta esset vetus Menandri fabula. & qua voce vtitur Thessalus Hippocratis filius in legatione, ad sensum eundem hunc: & Plutarchus in libro De Socratis dæmonio: ita pro numinum visione in ea epistola, quæ circunfertur Hippocratis nomine ad Philopomenem, & Theocritus in Europa. Quare etiam extra somnũ vsurparunt veteres pro re vera. Inter quos Sophocles in Electra, Herodotus in Erato, & in Melpomene: atque etiã alibi pro visu miraculi ponit. Hoc genus somnii tripliciter accipitur. Aut enim præsentem ostendit rem, vt apud diuinum Poetam, Hector Æneæ: aut præteritam, vt Elisæ Sichæus: aut futuram, vt Anchises Æneę. ea pars μαντικὸς à Græcis, à nostris diuinatio appellatur: fítque modis aliis multis. Aut enim per gryphos siue ænigmata: vt cùm satyrum somniauit Alexander, interpretatus est, Tyro sese vrbe potiturum: diuiso verbo sic scilicet, σὰ τύρος. Aut per rerum similitudinẽ: vt Polycrates tyrannus Samiorum suspendio enim, somni persoluit fidem. Nugatores Magi hãc diuinitatem etiam per gẽmas conciliari posse prodidêre. vnam appellant Eumetridem: alteram Hammonis cornu: vt omittam sinistrum chamæleontis harnum. eum enim ridiculum citius quàm admirabilem reddidit Democritus: qui eius vi prodiderit, posse quæ quibus velis somnia mittere, nedum tibi repræsentare. Hac ratione partim allegorica Græci vocarũt, propterea quòd aliorsum agerent animum, quàm in re esset, atque ita interpretationis indigerẽt. partim theorematica, in quibus id quod est, perspicimus. Ea somnia prædiuina appellat Plinius in libro tricesimo septimo. Quare allegorica referebant ad coniectores: quorum artem instituisse primus dicitur Amphictyon, vt est apud Plinium in libro septimo historiæ naturalis.

Fit autem oraculum, siue diuinatio, ob rem aut priuatam aut publicam: vt cùm somniat Hecuba faeem parere, publico malo fuit illud. Plautini Dæmonis suũ sibi priuatum extitit. Cæsar visus est sibi per quietem matri suæ stuprũ afferre: hoc cùm priuatum fuit, tum publicũ. Nam & eius interfuit dominatio, & publico detrimento inuasit: quod etiam somnium demonstrabat. Neque enim solùm subiecit sibi terram, sed turpiter subiecit. vtrumque autem adhuc diuidimus in alienum, & proprium. Possum enim & de meo priuatim, & de aliena rep. somnium excipere. Verùm ridiculè addunt aliam affectionem. Cùm partiuntur in generale, apponunt exemplum, Solẽ, Lunámque si quis deficere somniet: ineptè sané. Somniorum nãque differentias intelligimus, non ab somniatare, sed à fine sortiri nomen. Etenim si vni portendat, priuatum esse, si omnibus publicum: Igitur à mundo somniato quare vocant generale, quod vni tantum destinari possit? At mũdo vniuerso quid euenit vnquam è somniis nostris? Præterea neutro modo Lunæ Solísve somniũ appelles generale. Nã neq; vniuersitas est Luna: neq; ex ea quicquã præscribitur vniuersitati. Postremò generale minus est, quàm commune. Genus enim siue gens, est in ciuili prudentia ambitus quidam certorum capitum

ab vno proficiscentiũ. vnde apud philosophos id quod species complectitur, ductum est. At multa sunt in philosophia quàm in vsu communi longè ampliora, quàm vt generis appellatione continentur. Entis nánque nomen latius funditur, quàm generis. Sub voce quoque Reipublicæ multa sunt genera: sub nomine Prouinciæ multæ gentes cõprehenduntur. Sic communis lux est, generalis non est: Communis mundus, non generalis. Sed more suo Grãmatici plus laboris afferunt ad refellendum, quàm boni quod ediscamus.

Hæc sunt genera siue modi differentiæ, affectiones somniorum: quorum significationes atque iudicia, quæ ad instituum nostrum pertinent, ob eas quas diximus rationes, non negat Aristoteles. Ait verò exactissimum somniorũ iudicem, indicémque futurum, qui rerum calleat similitudines. At enimuerò ex illis euentũ vllum significari portendíue necessariò, id sanè negat. casu aliquando accidisse assentitur: verùm nihilo certius, quàm cùm Venus aut Canis in tesseris iacitur. Videtur autem ipse sibi maximum afferre argumentum: Si à Deo sunt somnia diuinatoria, quare stolidis sæpius eueniunt? Noluit meminisse vir ille diuinus, stolidorum animum cum ipso corpore minimam habere coniunctionem: Itaque eos nobis stolidos esse, hoc est foris: intus autem ipsos seorsum sapere. nam si anima diuina est, ergo quo tempore sua erit, non corporis, diuinationem illam redintegrabit. Plutarchus in libro De abolitis oraculis, vaticinia ex somniis fuisse ostẽdit: reddíque solitas responsiones à vatibus ad Mopsi oraculum: qui vates stratis pellibus hostiarum incubarent, id quod de Fauni sacrificio prodidit doctissim' Poeta. Auerroes verò etiam ineptit. negat diuinationem dari posse ab intellectu separato: Sanè addit, Eũ nõ cognoscere materialia & indiuidua, circa quæ fit diuinatio: Esset enim, inquit, materialis. Quãtũ verò errat ille, nõ semel. Etenim intellectus ille non cognoscit per phantasmata: sed se ipse vtendo, videt omnia. Quid? nonne ille motor ille? ergo motum cognoscit: ergo & rem motã. At omne quod mouetur naturaliter, ex materia est. Item omnium rerum efficiens causa prima, intellectus ille est. igitur materiæ quoque primæ author erit. Quomodo fecerit si non norit? Verùm ille non mutatur, cognoscendo mutationem: sed cognoscit se nõ mutari, quia est immutabilis: simul non mutatur, quia cognoscit se non mutari. nihil enim est prius, aut posterius. Neque recipit cognitionem cognoscendo: esset enim intellectus imperfectus: sed ipsemet sua, suíque cognitio est. Ad hæc, vniuersalia in materia sunt. sunt enim vnũ in multis. Nam id earum figmenta non admittimus. Ergo si cognoscit vniuersalia, materialia quoque nota habebit. Dicet, Abstrahere. igitur id quoque vnde abstrahit, cognitum ei erit. Respondebit, Cognoscere abstracta sine abstractione. sed non soluet. eorum nánque naturam si norit, nouerit esse in materia. Postremò non negabit, omnia præter Deum modo quopiam composita esse: alia ex materia & forma, alia ex genere & differentia: quædam ex esse & essentia. ergo si hæc cognoscet, ipse quoque talis erit. quare Auerroes cogetur negare, Deũ quicquam fecisse: quippe qui nihil intelligat. Hoc enim angebat hominem, intelligẽs, intellectũ, intellectionem vnũ esse in intellectibus separatis. Itaque si separatus intellectus intelligit corruptibilia, ipse sit corruptibilis. Sed ille intellectus intelligit corruptibilia per seipsum, vt diximus, non per illa. Sic quoque intelligimus nos vacuum, per plenum: ficta, per vera. vnde fit, vt animus noster neque inanis, neque fictus sit. Ita ille sese intelligendo, omnia facit: omnia mouet: omnia est à se, non ab illis: quoniam illa ab se esse intelligit. Eius enim perfectio est, nequire sibi quicquã efficere aut idẽ, aut par, aut simile. Quare concludendum est: & à Deo posse somnia demitti, & ipsam animã repetita sua diuinitate, frui ea tantisper posse, dum à corporis vinculis libera agitarit. Quibus rationibus moti religionis nostræ primores, ipsíque Platonici, à Deo esse proficiscíque somnia posse profitentur. Inter quos Xenophon quoque in Symposio sentit idem. inquit enim, Σημαίνουσί μοι πέμποντες ἀγγέλους, φήμας, ἐνύπια, καὶ προλογοῦσι. Et Herophilus θεόπνευστα somnia appellare solitus est quædam.

Animaduertemus id, à Caluo bis hunc esse trãslatum commentarium: quos, qui volet, conferet inter se: neque enim operam perdet. Sed iã Hippocratem latinè loquentem audiamus.

APOTELESMA PRIMVM.

Quæ per somnia conijci possunt, si quis nota habeat: magnum ad omnia sanè momentum ea conferre intelliget. Etenim anima, dum vigilat atque corpori vires administrat, in multa dispertita loca, nequaquã vacat sibi: sed singulis corporis functionibus intẽta est: quippe ipsis sensibus, auditui, visui, tactui, ambulationi, actioni: omni denique cogitationi: ipsa verò pro se nihil agitat. Cùm verò quiescit corpus, illa mouetur: atque egrediens è corporis partibus, suo domicilio continetur: ibi omnibus illius fungitur officijs. Corpus enim somno captum nihil sentit. at ipsa vigilans cognoscit: videnda videt: audienda audit: vadit, tangit, mœret: temporis momento ratiocinatur: ibique in somnis tum sua, tum corporis obit munera omnia. Si cui igitur recto hæc erunt comprehensa iudicio: ei magna sapientiæ pars fuerit comparata.

CÆSAR.

Tractaturus somnia, ostendit operæ necessitatem: dicítque posse coniici. Argumentum est à possibili, itẽ ab vsu, & consuetudine & modo: cùm dicit, coniici. Deinde vtilitatem statuit: cùm dicit, ad omnia. Magna enim est pollicitatio. intelligit enim omne vitæ genus, tam ciuile, quàm quod spectet ad medicandi facultatem, propter diuersa, quæ diximus, genera somniorum. Hæc est προέκθεσις procemii: in quo proponit rem, qua de agitur, non sine captatione beneuolentiæ, docilitatis, atque attẽtionis. Quod autem ad iudicia spectat medicinæ, sibi ipse assentitur etiam in tertia sectione letalium contagiorum: Ab insomniis nanque, morborum & indicia sumi, & iudicia dari. Post hæc reddit rationem propositorum. Anima, inquit, vigilanti inseruit corpori: scilicet ad actiones. ergo ibi occupata hoc agit. at dormiente corpore sibi ipsa vacat. Sic Xenophon 8. Pediæ. In somno, inquit, anima est proxima diuinitati: & futura multò ante præuidet: propterea quòd per id tempus potissimum libera est. Sic etiam Galenus: In somnis, inquit, anima reducta ad corporis intima, libera atq; otiosa ab exteris functionibus, seorsum & indicat quæ corporis intersunt: & ea, quæ suapte natura expetit, quasi habeat præsentia, contemplatur. Vbi dixit, eam moueri: veterum sententiam secutus est: inter quos Plato quoque fuit, vt legimus in Atlantico. Hoc libri quoque nostri sacri autumant. Aristoteles nequiuit apprehendere intellectione aliud moueri posse, quàm corpus. Anima enim nostra si est incorporea, extra magnitudinem est: ergo nullis præscripta finibus. Figura enim corporis extremitas est. Quæ inter alias rationes vna ratio Themistio, Auerrosque persuasit vnicam in omnibus eandémque animam vt existimarent. Cæterum nihil impedimento est, quin intelligamus, substantiam aliquam incorpoream finitam esse. Nam mentes illæ æternæ, quæ versant cælestes orbes, neque informant illos, neq; ab illorũ finibus finiũtur. essẽt enĩ materiales. Quare suapte natura finitæ sunt, non propter magnitudinẽ materialem: sed circũscriptæ alia quapiã re, quæ res alia ab ipsis est. Omne autem finitum moueri potest. Mutare enim potest id, quod Græci vocant τὸ ποῦ. quod quanquam in loco esse verè dici nequeat, quia corpus non est: tamẽ in suo, vbi, est. Quemadmodum autẽ moueantur, & ad duodecimum diuinæ philosophiæ, & ad secundum sententiarum pertinet disputare. Disceptauimus enim ibi, falsum esse moueri rem incorpoream per momẽta discreta. Sed hic de his satis. Vnum illud animaduertendum est, Animam, cùm vna sit, nõ retrahi à corporis extremis partibus morerentur enim: à qua priuatione non datur recursus ad habitum. Sed spiritus instrumentarios huic & illi officio delegatos, retrahere sese ad principia intelligamus, tãquam ad pabulum, aut vexillum quoddam, vbi recreentur: propterea quòd in continuo opere esse nõ possumus. quæ est causa finalis somni, & apud Aristotelem, & apud Galenum in libro De cõtinua resolutione.

Nota locutionem dubitabilem: Egressa, inquit è corporis partibus, suo domicilio cõtinetur. Falsum nanque est corpus destitui: aliúdque ei tũc esse domicilium. Sed voluit intelligere à reliquis eductam partibus, recipere sese in cerebrũ & cor, quæ sunt sedes primariæ: sicut & sentit Galenus ex Timæo, animam in cerebro habitare. quanquam Hippocrates epar etiam ante cor creari putarit. Sed hoc in septẽ libris De semine genitali exactius à nobis & perpensum, & explosum est. Corpus autem esse animæ impedimentum ad ratiocinandum & sapiendum etiam Plato nos docuit in Phædone.

Longè facilius poterit Galenus dicere, animã moueri: qui animam negauit sese, quid esset, scire: nisi, inquit, calor ipse naturalis sit. Idque nõ solum aliis multis in libris, sed in eo quoque, qui nondum latinus factus est, quem inscripsit De formatione fœtus. Nam qui dicit animã dolere, lætari: materialem animam intelligit. At ipse integrum super hoc condidit commentarium: in quo declarat animam affici à corporis affectibus. Laxius quoq; Platonici ipsi locuti sunt: inter quos Xenoph. in Symposio licẽter nimis dixit: ἄρδειν τὰς ψυχάς. Hoc quoque loco Hippocrates animã inurere ait. Et in libro De modo victitandi, animas à fœmellæ & viri seminibus simul commisceri, propter similitudinem, quæ in vtrisque sit. Et in eodem libro turpiter nimis animam ex aëre & igni conflatam esse. Si enim ita sit: pars ergo fuerit corporis, non pars compositi, alteri parti dãs esse, scilicet corpori. Itaque tutò postea potuit errare errorem alterum multò maiorem, cùm dixit, in furorem animam humanam agi. Ergo in libro de carnibus, cùm scripsit animam de cælo profectam: videtur ignem & aquam de cælo deducere. Nimia quoque translationis licentia vsus est Cicero in lib. 2. Officiorum: vbi prodidit, à voluptatibus magnas animi partes detorqueri. Nam & animã diuidit, & subiicit corruptioni. Quod enim afficitur, habet aditum ad interitũ: est enim alteratio dispositio ad corruptionem. Sed partes posuit pro potestatibus: sicuti pro potẽtia, & factione, etiam partes dicimus.

Aristoteles autem in libro De indiciis morum sumptis à corporis lineamentis, quæ Græci vocant physiognomica, ita sentit: Videtur, inquit, mihi anima & corpus mutuis affectibus inter se respõdere. Sic enim interpretor felicissimũ verbum Græcũ, συμπαθεῖν. Et subdit: Animæ quoque habitudo alterata, secum alterat etiã corporis figuram. Sic enim transfero, σωμαλοιοῦ. Tũ sequitur, Contrà quoque alterata corporis facies, animæ habitum secum alterat. Cùm enim

hoc quod est mœrere, atq; lætari, animæ sit: manifestò videtur ii, qui mœrẽt, tristiores esse: qui lætantur, hilari. Post hæc sequuntur verba paulò corruptiora: sed sensus est, corpus & animam mutuis coniunctionibus inter sese cõsequi. Cuius rei addit argumentum, vt ipse vocat, manifestum. Furor enim, inquit, circa animam videtur esse. Quo furore ita demum liberant medici animam ipsam, si & medicamẽtis, & certa victus instituta ratione purgent corpus. Qua ex corporis curatione, simul corporis figura solutur, simul animæ furor aboleretur. Igitur si vtrumque simul tollitur: planum est, mutua coniũctione coniuncta esse. Hę & alia talia eo libro ita scripsit Aristoteles, vt Alexandro aliisque animarum interfectoribus gratum fecerit: præsertim si codicis errorem sequamur: vbi in recto sic scriptum fuerat: ἐπειδὴ ἐστὶ ψυχὴ τὸ ἀνιᾶδες. Quasi anima sit mœror & lætitia: quod plᵒ est, quàm si, vt nos legimus in secũdo casu, animæ, scribatur. Verùm ipsum ita intellexisse cõstat, vt doceret, instrumentis læsis, non lædi animã, sed impediri. Manifestò enim deprehendimus, mancis pedibus deprauari ambulationẽ: officiũ ibi animæ tollitur, non vis: tãto minus substantia. Itaque à mancis & mutilis, integri generantur. Atque hæc sanè de certis animæ potestatibus ita sint. At de furore cùm scribit, quid sentiamus? Dicit enim animę affectionem esse. Contraria nãque cõtrà eiusdem subiecti sunt. furere & sapere sunt contraria. Sapere est cognoscere. Cognoscimus per animã non per corpus. Hîc respõdeamus, Homo sapit per animã: furit autem per animam: quoniam per prauas species fit repræsentatio. Itaque anima non fallitur. excipit enim quod offertur. sed offerũtur vitiosa. Quare sic sunt accipienda dicta Aristotelica: Corpus natura esse posterius. Est enim materia, quæ talis est, quia propter formam & per formam est. Itaque sequitur animam. Plato autem etiam tẽpore priores formas statuit, non solùm natura. In Timæo nanque animæ à Deo factæ, obducũt diui corpus à seipsis detornatũ. Vbi vir ille mirificus etiam ordinem potestatũ designauit, Formam rem cœlestem à prima causa fabricari: Materiã, quæ futura esset illius serua, à causis secundis constitui. Sic igitur à priori tanquam à causa, intelligimus ab anima corpus dependêre. Cùm autem dicit animam à corpore: hoc fit à posteriori: sicut vis fabri à magnitudine mallei, aut paruitate. Accidit enim animæ hoc, vt eius imperium, ac vis à corporis prauitate impediatur. Quòd autem sic accepérit diuinus ille vir, declarauimus, & in defensione tertia M. Tulii Ciceronis, & in tertio De anima, & in libro De causis partiũ primo: in quo certas animæ partes, hoc est, potestates substrahit ille à philosophi naturalis contemplatione: propterea quòd neq; materiæ mistæ sint, neq; ad effectiones suas indigeãt instrumento. Si enim materiales eas omnes agnouisset, etiam sub motu declarasset constitutas. In quarto autem diuinitus loquitur, corporis humani statum secutum fuisse ipsam animam: quæ quia cælestis esset, plenáque natura ad intellectionem destinata: erectum idcirco fuisse, non pronum. Quare quod è Zamolxide Plato affert, tum bona, tũ mala omnia in corpus ab anima proficisci: atq; idcirco præceptis sapiẽtiæ medicandam illam, non est supinè accipiendum. Si enim anima à seipsa praua esset, statim infans esset malus. Sed contrà ipsa instrumentorũ, ac specierum prauitate, prauè cognoscit. Idcirco in secundo De causis partium, & secundo De anima Aristoteles negat animã esse vllum elementum: & quod ad hunc locum facit, eius esse sedem calorem naturalem: à quo item excipiat species. Quid mirum igitur, si physiognomon ruffum dicat iracundum? nũquid iracũdam animam dicet? atqui ruffa non est. ille autem iracundus, quoniam ruffus. Quare idem diuinus vir in tertio De generatione animalium, generosum animũ in corporibus modicis esse prodidit: ab eorum habitu animæ officia metitus, tanquam ab instrumentis naturæ opera institutis. Quod in eodem altius explicauit, vbi animalium calorẽ vitalem neque ignem esse affirmauit: sed neq; ab igni: Quin etiam animæ humanæ cum corpore coniunctionem nõ statim fieri: sed sequestro quasi nexu quodã cælestis corporis certi: cuius ratio ab his inferioribus longè sit aliena. Hæc nõ ab re huc attulimus, vt intelligeremus hoc apotelesma de animæ motionibus.

Intelligamus & illud: Quiescente corpore, anima videt videnda: audit audiẽda. Molliendus enim verborũ sensus est. Neque enim aures habet anima. Nam si audire dicamus animã, eandẽ etiã silere dicemus: sed excipere species tã ad auditus potentiam, quàm ad alias facultates cõparatas. cognoscit enim aut per species, vt albedinẽ, & nigrorem: aut post speciem, vt ouem, postquam lac agnouerit, tãquam lactis causam. Atq; hæc quidem tãtisper, dum corpori obnoxia. Nam cum amissis speciebus puritatẽ suam nacta est, cælesti cognitioni postliminio restituta, tum verò exercet diuinationem.

Dixit, tũ sua, tum corporis munia obire omnia: per sua, intelligit ratiocinationẽ, & somnia diuina.

Intelligit actionẽ, operã: puta, fodere, scribere, cuius effectio manet. Deinde alterũ genᵒ actionis, cuius effectio non manet, intellexit per ambulationem.

Dixit, Momẽto tẽporis ratiocinari: intellexit ἀσχνοίας: nã qui solertiã interpretãtur, à nobis alibi sunt reprehẽsi. Nã solers est qui artẽ totã callet: ἄσχνος autẽ, etiam rudis & sine arte qui sit, dici potest. Est solertia habitus perfectus animi ad rẽ quampiam: ἀσχνοια est affectio virium animi posita in celeritate, præsentia animi dici potest.

In calce propositionis cõcludit. Nõ parũ sapiẽtiæ cõparatũ iri ei, qui somniorũ calleat significationes. Itaq; demõstratio perfecta est. Qui animæ indicia noscit, sapiẽtiæ partem adipiscitur: qui somnia intelligit, indicia illa noscit.

Nota

Nota nunc phrasim. Quoniam dixit animã seruire τῇ διανοίᾳ τοῦ σώματος: & postea appellauit ipsius animæ διάνοιαν. Non solùm mutauit dialecton, sed etiam vocabuli vim: vt cogitatio corporis sit ab anima: & cogitatio animæ seorsum. Pro animæ facultate diuina, in tertio De anima, & in primo De causis partium, Aristoteles: & ipsam facultatem μέρος διανοητικόν: quoniam σχῆμα τοῦ νοῦ operatur. De hoc latius in tertia oratione pro M. Tullio.

Caluus interpretatus est, ἀυτὴ ἑαυτῆς οὐ γίνεται, suis iuris nõ est, nõ malè: propterea quod dixit οὐκ ἔστιν. Verùm anima sui iuris sẽper est: & administrat corpori voluptates, quoniam ipsa vult: nónne animæ pars voluntas est? Cùm autem agit, vult agere. Decipitur autem specie falsa recti. Furens enim sibi conscisscit mortem: quoniã eius animæ repræsentãtur species in hac vita terribiles: quas putat non nisi morte aboleri posse. Itaq; anima hoc vult: hoc agit. Ergo semper ius suum obtinet. Sicut iudex, cui orator eloquentia sua tenebras offuderit, malè iudicat: suo tamen iure vtitur: ita anima semper sui iuris est: non tamẽ pro se semper agit, sed pro corpore: proterea quod hanc rem potiorem ducit. Vult enim corporis administra esse. Non igitur à corpore cogitur, sed decipitur: eius enim custos, ac tutrix est. Itaque commodius ad officium, quàm ad ius referetur.

E᾽ πεξέρπουσα, Caluus dixit, serpit: minus plenè. nã τὸ ἐπί, significat locum, in quem recipit se: τὸ ὀξύ, loca vnde retrahitur. Sed non est superuacaneum notare tempus. Neque enim dicit ἐπεξέρχεται: id est, egressa, vt indicaret corporis partes non esse vacuas anima. adhuc enim motus dicit continuationem.

Διακούει, efficaci verbo vsus est. Nam præpositio δια, cõditionem perfectam, & finis compotem, atque etiam puram significat, per quam induat sese intellectus ad finem vsque.

Quod alij, ἐν ἀκαρεῖ, ipse dixit, ἐν ὀλίγῳ: Caluus interpretatᵒ est, tẽpore modico, rectè. at cùm addidit, loco: an rectè nescio. Intellectionem, temporis indiuiduo momento fieri in libris De anima declarauimus: sicut & aeris illustrationẽ: An raciocinationẽ, quam declarat hîc per verbum, ἐνθυμεῖται, in temporis momẽto diuisibili.

Non rectè in Græcis exemplaribus pars hæc cum duobus sequentibus apotelesmatis, auulsa erat à reliquo commentario.

APOTELESMA II.

Igitur quæ somnia diuinitus publicè priuatimve euentum aliquod siue malum, siue bonum insontibus portẽdunt: sunt qui exacto iudicio artem calleant, iis interpretandis.

CÆSAR.

Post communem rei, qua de ãgitur, professionẽ: particularem aggreditur: facítque diuisionem, in somnia diuina, & naturalia. Reiicit diuinorum interpretationem ad alias artes: alterã partem sibi hîc reseruat: aſtque somnia quædam fieri diuinitus: eáque interdum publico euẽtu: aliquando priuato contingere, procuraríque per certos homines gnaros rerum futurarum.

Dixit, ἢ πόλεσιν, ἢ ἰδιώτῃ λαῷ: vrbibus aut populo priuato. Comprehẽdit per vrbes, publicum: per populum, priuatum. Nisi enim addidisset ἰδιώτῃ, idem dixisset bis. at ea additione intellexit, quod alii dicunt τῷ πυρέττῃ: id est, vni cuipiam è populo. Nam quod interpretati sunt, aut ciuitatibus, aut populo priuato cuipiã: quonammodò intelligũt populum priuatum? Nam publicum à populo dicitur, quod populi est, non vnius. Contrà priuum vnius est: tractum à familia herciscũda: cùm res in partes secarẽt. hoc enim est, πρίειν: vt quod esset commune trium fratrum integrum, cederet per trientes suum cuíque. At populus à ciuitate nihil differt. Est enim populus ductum nomen παρὰ τὰς πόλεις. At πόλις, ciuitas est, communis locus, in quo πολοῦσι πολλοί. Populus autem ciues ipsi, qui è vicis multis invnam sedem iure sociatam conuenêre. vnde ciuium nomen παρὰ τὸ κίειν.

Est & alius locus incommodior: cùm dicit, ἢ κακὸν, ἢ ἀγαθὸν, μὴ δι᾽ ἀυτῆς ἁμαρτάνω. Caluus ita, quæ fermè nunquam errant. retulit ἁμαρτάνω ad somnia, & addidit Aduerbium, fermè, malè. neq; enim quod diuinitus est, errat. Cæterùm Hippocrates non dixit, μὴ δι᾽ ἑαυτῆς ἁμαρτάνω vt referatur ad, οἶκόσα: sed δι᾽ ἀυτῆς. vt referatur ad πόλεις & λαόν. Quare sic intelligimus: aut mala portẽdi, propter eorũ flagitia: aut bona propter eorũ innocentiam. Qua ratione authoris quoque pietatem compertam habebimus.

APOTELESMA III.

Quæ verò corporis affectiones ab anima præmonstrãtur: siue quòd repletum sit, siue quòd inanitum: aut aliquam cognatarum partium redundare: aut eorũ, quibus assueuerit, quippiam mutatum iri, has quoque affectiones iudicant: sed ita, partim vt assequãtur, partim aberrent. Verum vtriusque rei causam ignorant, & quare deprehenderint, & quare falsi sint. quamobrem obmuntiant cauendum esse, nequid detrimenti capiatur. Cæterum quibus sit vitandum consiliis, cùm nihil doceant: diis immortalibus vota iubent nuncupari id quod tametsi & ritè fit, & in primis est cõducibile: oportet tamẽ diis inuocatis, nos quoque operæ aliquid in medium afferre: quæ ad hũc sanè modum præscribi possit.

CÆSAR.

Nũc proponit alterum somniorum genus: quod

ex corporis affectionibus repreſentatum, accipitur pro iudicio valetudinis vtriuſq;.Et quoniam ſomniorum coniectores omnia,lucri aut gloriæ cauſa,ad ſuas artes diuinãdi referebant: oſtẽdit Hippocrates in hoc genere ſomniorum non ſolùm falli ſolitos: ſed etiam ignorare cauſam,quamobrem decipiantur: itaque ad communem aram confugere conſueſſe, ad vota ſcilicet:transferréque hominum ſpes, atque expectationem,ad deorum poteſtatem. Hoc inſtitutum ſi damnaret Hippocrates, is & contra receptam conſuetudinem & contra pietatem faceret:ſin probaret,ars,quam hìc profitetur,ſuperuacanea haberetur. Vtrunque igitur obſeruauit:vt & ritè vota dicat nũcupari, & aliquid operæ nihilo ſecius nauandum illorum auxilio.Oſtendit igitur operę neceſsitatem,cùm dicit,coniectores falli, qui omnia ad Deos referant:Ipſe verò quàm pie ſenſerit de Deo, declarauit per initia libri,qui De muliebri natura inſcribitur, vbi rerum omnium humanarũ cauſam ad Deum referendam monet.Et in libro De moderatione,ait, A medicis vniuerſa Deo attribuenda:quoniam,vt in primo De victus ratione,Dei ſolius recta opera ſint. Quod autem deorum poteſtati ægritudines ſint attributæ: ſcribit etiã in libro De virginũ morbis: & in libro,De morbo ſacro:quo in loco expiatores inſectatur,qui non ſupplicationibus, ſed vanis ſuperſtitionibus medicari aggrediũtur.

Dixit,Cùm corpus repletum ſit,aut inanitum : à cibis ſcilicet,nondum conuerſis:aut conuerſis, cùm addit redundantiam cognatarum rerum, id eſt,exceſſum principiorum, quibus eſt corpus conſtitutum:puta ſanguinis,aut aliarũ partium:Ita definiuit medicinam,ablationem, & additionem. Quæ definitio an rectè data ſit,in decimo hiſtoriæ animalium declaratum à nobis eſt.Adiunxit etiam,conſuetudinum mutationem,vt alias quoque res,quas non naturales falſò vocant,comprehendat,exercitium,coitũ, ſomnum,aerem.

Mendoſè legebatur ἀνήθεων.Caluus rectè,συνήθεων, ſolitarum mutatio rerum.Nam rerum,quibus nõ aſſueuim°,mutatio ad nos minus adeò pertinet.Reſpondet hæc ſententia illi aphoriſmo, in quo A`rebus, quibus aſſueuimus, lædimur min°, tametſi proportione moleſtiores ſint. Et alteri in quo diſcimus,ægrotantes cibis etiã incommodioribus minus affligi, ſi reſpondeant palato:quàm iuuari iis,qui deterius ſapiant.

APOTELESMA IIII.

Diurnas actiones ſi in noctem tranſmittat cogitatio,reddátque in ſomnis ea, quæ interdiu honeſto in negotio,aut opera,aut conſilio patrata ſunt:id homini bonum eſt. ſanitatem enim ſignificat:propterea quod anima diurnis in conſiliis perſtat, neque repletione, neque inanitate victa,aliáve re quapiam, quæ extrinſecus euenire ſolet. CÆSAR.

Hæc eſt ſecunda Commentarii pars,& initiũ totius contemplationis.Demittit enim ſeſe ad ſomniorũ ſpecies particulares. Habet verò contemplatio hæc permulta capita:Nã & à corporum habitudine accipit ſigna: & à rebus cæleſtibus notat argumenta: item indicia ab elementis,à partibus corporis,à ſpectris vita functorũ,à conſuetudinibus,tàm motus,quàm cibi potúſque:præterea ab euentis,vt prælio, natatu,curſu,atque eiuſmodi.

Hìc autem eam proſequitur partem, quæ repræſentat in ſomnis diurnis actiones. Significat enim concordiam animi ac corporis,corpúſque cõſtare ſibi: Vires nanque naturæ validas eſſe, quæ eodem officiorum tenore continuentur. Hanc quoque ſententiam fouet Ariſtoteles.ait enim,diurnas effectiones præire nocturnã intellectionem. Hoc genus ſomnii non eſt ignoratũ doctiſsimo viro M.Tullio Ciceroni:Qui cùm feciſſet Corneliũ Scipionẽ ſomniantem præclara quædam de republica,eas demum obiecit ſpecies per quietem,de quibus pridianum ſermonem habere inſtituiſſet.Galenus etiam non ſolùm ex corporis operibus,ſed ſubtilius quoque ex animi affectionibus,quæ interdiu contigerint,ſomniorum eũdem modum euenire:puta,ſi,è pręlio poſtquã redieris,vbi quieſcas,per ſomnũ manus cõferas: animũ id fortem ſignificat,valetudinémque conſtantẽ. Rerum autẽ ſimilitudinem cum ipſarum nocturnis imaginibus notauit idem,cùm dixit, præter corporis habitudinẽ, accidere ſomniorum tractus tales, quales ſint peregrinę corporũ affectiones:veluti cũ niuẽ ſõniat bilioſus febri correptus quotidiana.Cauſam nanque morbi indicat, nõ tẽperamenti. Cùm in acceſsione tertianæ idem ſomniet:neque morbum,neque cauſam,neque adeò temperamentum ſignat,ſed materię motum,ac punctionem in rigore.Ita aliquando cibum,aliàs regionem,interdum tẽpus, aut aliud quippiam in cauſa eſſe intelligimus. Quare etſi diurnis conuenient actionibus: tamen corpus malè habere dicẽdum eſt. In corpore enim ægroto aliter ſomniare,quàm diurnæ ſint actiones,bonum eſt. Mutatio nanque portenditur, dummodo in melius.

Verùm ipſe Hippocrates,vt docuimus, maxima ex parte proſequitur curam præſeruantem. Itaque dixit ſignatè, bono in negotio. Tangit enim verſationem.deinde dicit,aut opera:tangit effectiones,in quas exit animi vis. poſtea dixit,conſilio:tangit deliberationem. Tria enim ſunt,deliberatio,opera,finis. Dixit,bono in negotio:Prauo nanque in negotio ſi verſaretur, morbum ſignificaret:quippe malorum humorum imminentẽ motũ.Habet enim proportionẽ virtus cum ſanitate:Nã illa eſt animi,ſanitas corporis quædam mediocritas. Itaq; ſanitas,& virtus in medio,vna eſt: extrema verò ægritudines & vitia multa. Rectũ enim vnũ,obliqua multa. Ab illo medio,ſine mediocritate abſcedunt corpora, atque in morbos cadunt. Ad id medium mediocritatémque, ars ea quæ corpora reducit, inde nomen adepta eſt ſibi, vt à modo ac medio medicina diceretur.

Reddit rationem propoſitionis, cùm dixit,ſanitatem ſignificat. deinde rationis rationem, vbi addit, animum in diurnis perſtare conſiliis. Tertio loco huius quoque rationem rationis: quoniam ſcilicet, neque exceſſu, neq; defectu agitatur:intelligit cauſas interiores,quas antecedentes vocánt. Poſtremò addit ea quæ extrinſecus affligunt: intelligit cauſas procatarcticas:puta,Solis calorem,gelu noctis,item alia: quæ veteres quum negarent eſſe morborum cauſas, haud multum diſtabant ab eorum ineptiis,qui vt aſtrologiam deſtruant,etiam mare negant Lunæ motus ſequi.

Dixit,eodem modo repræſentari:vt naturæ conſtantiam ſignificet. Nam modus, eſt qualitas quantitáſue eiuſdem ſubſtantiæ. Poteſt enim quiſpiam diurno exerceri ſacrificio.Hoc idem ſi ſomniet,variare modum poteſt: vt pro vero Deo noſtro, ſi recipiat obſoletum cultum veterum monſtrorum.Eadẽ actionis erit ſpecies, modus autem alius.

APOTELESMA V.

At cùm diurnis functionibus ſomnia aduerſantur ita,vt inter ipſa non cõueniat: indicatur corporis perturbatio. Itaque ex forti forte malum portenditur, ex debili imbecillum. CÆSAR.

Nunc ex cõtrario euentu contrariũ ponit ſignificatũ. neq; adducit rationẽ:quoniam contraria ratione fulciuntur.Addit etiã quaſi gradus quoſdam:validum ſcilicet,& imbecillũ. Quo loco optimè intelligimus,rectum vnũ eſſe:obliquum autem,vt dicebamus,multa.Rectũ nanq; medium eſt.at medium vnũ. ſic centrum vnum.Circunferentia,multitudinis obtinet naturam: quare ſibi rectum ſemper cõſtat. Obliqua tametſi recto cõtraria ſunt: tamen ipſa inter ſe quoque ſunt aduerſa.Itaque in bono ſomnio vnam poſuit propoſitionem: in malo poſuit multas,cùm variauit Apoteleſma per forte & imbecillũ.In bono non variauit:ſed præſcripſit bonitatem atque ſimplicitatem,quum dixit eodẽ modo repræſentari.Hæc ſcribimus exercendæ ſcientiæ gratia. nam bonum quoque gradus modóſque habet,ſed ipſi ſibi conſtant: malorum ſpecies etiam inter ſe,vt diximus,ſunt contrariæ. Igitur anima regit corpus interdiu in re iuſta:conſulit officiis & frugalitati. Si idem non ſomniat, ſed ad rem attẽtior, auaritiam exercet per quietem,ibi malis ſuccis affici corpus, argumento eſt: propterea quòd diuerſæ ſpecies opponuntur.

APOTELESMA VI.

Vtrum verò res hæ ſint auerruncandæ, nec ne, non eſt nunc conſilium indicare: ſed hominis corpus curandũ eſſe ſtatuo. Cùm enim corpus plenius eſt:quod ſuperfluum eſt,animæ negotium faceſſit.Igitur id quod aduerſatur, ſi validius ſit, & vomitus cõferat, & leuiorũ ciborũ vſus ad diem quintam vſque: tum deãbulatio poſt cibum, frequẽs atque cõcitatior,moderatæque præterea exercitationes. CÆSAR.

Hic eſt,vt dicebamus,authoris finis,vt imminẽtis morbi præmonſtret curam,ſumpta indicatione à ſigno quod è ſomnio portenditur. Antequam autem ad curam venit, obſeruat præcepta philoſophorum: quæ docuit Ariſtoteles in primo Poſteriorum. Neque enim ſolùm ſcire debemus quæ recta ſunt,vt recipiamus: ſed etiam quæ ſunt praua, vt reiiciamus. Itaq; cùm dixiſſet,à coniectoribus vota concipi ad auertendam deorum iram quæ ſomniis portenderetur: ipſe hìc negat ſibi curæ eſſe, auerti debeãt nec ne: ſed pro operis inſtituto ait,corpus curandum eſſe. Quibus verbis potius oſtendit operis & propoſitum & finem. deinde reddit rationẽ,quę in corpore redundant,iis animam obturbari: nihilo ſcilicet minus, quàm quum gubernatorẽ malè habet vis maior venti. Tertio loco ponit curam qua detrahatur plenitudo:ſdque tribus modis.Primus eſt,vomitus.educit enim id quod iam eſt, à circunferentia ad cẽtrum. Alter eſt,ſudor excitus per deãbulationes & exercitamẽta: cuius ope ſubtiliores partes à cẽtro ad circunferentiã exigãtur. Tertius modus non tollit id quod iã eſt: ſed prohibet quod eſſe poteſt,indicto vſu ciborũ leuiorũ.neq; enim apponetur quod ſit redũdaturũ.

Animaduertamus non ſolùm deambulationem, ſed etiam eius modum. Concitatam nanq; vult eſſe:ne ſcilicet corpus validius alatur. neq; enim concoquitur cibus: ſed è ventriculo crudiuſculus elicitur. Hæc eſt vna è præceptionibus, quibus cauemus ne fiamus pinguiores:itaque is eſt finis vehementis deambulationis poſt cibũ. Deinde dixit, exercitationes cõferre: ſudorẽ nanq; educũt: vt ſi quid crudi nondum deiectũ ſit,ſed venas ſubierit,exprimatur.

Caluus, ἀποτρέπειν, amouenda. rectẽ: ſed minus explicatẽ. ad augures enim & aruſpices pertinet verbum ἀποτρέπειν.at amouere,etiam ad medicũ. Quare Hippocrates,ſi Latinè loquatur, ne dixerit, ſeſe non ſtatuere an morbus ſit amouẽdus. etenim corporum curatio, morborum amotio eſt. At auertere, aut auerruncare, ſignata priſca verba ſunt ad hũc ſignificatum. Ad hunc eundem vſum poſuit Xenophon in Sympoſio: ἢ ἐάσῃ ἄνωφ ἀκαθάρτους, τοῖς ἀποτροπαίοις θύοις. Eadẽ verbi vi etiam ἀποπομπαῖοι dicũtur: λύσιοι quoq; à ſoluẽdo. Λύσιος, Liberi patris cognomentũ proxima ratione.Plutar.in 7.Cõuiualiũ docet ſacrificiũ ἀποτροπαῖον: τὴν ἐκάστῃ, ἢ πεῖν ἀποτροπαίοις ἐκφέρειν τὰ δεινά. Idem in Roma-

nis: προσάπτοντας ἀλληλόποις πόπ δύμοσι ἐν ξένοις ἀποξήρας ἕνεκα τοῦ ἐπίνιπτος προσέθαι, δύο μὲν ἑλλήνας.

Ἀπόκριτος ἐγένετο, factum est excrementum: significat iam excretum ac separatũ esse aliquid. In Caltii editione, quare semel atque iterum excreatur scriptum sit, sanè nescio.

Ἐπρᾶξε πάνυ ψυχῶν, negotium fecit animæ: πρᾶγμα id significat: loquutio Attica est, πράττω σε τοῦτο. & εἰ πράττω. quod etiam doctissimus notauit Gellius.

Ἐκ προσαγωγῆς, à cibo scilicet, τῆ σίτου, sicut mox ipse dixit. Aristotel. in V. historiarum, ἐξ ἀναγωγῆς. Theodorus per interualla. In secundo Meteororũ, οὐ παχέως ἀλλ' ἐκ προσαγωγῆς, nõ continuò, sed mox. Et Hippocr. in VI. morborum popularium, ἐκ προσαγωγῆς τ' ἀναπτύα ἀνάγειν ἐς ἀναπαύειν. & in I. Epidemiõn, ἐκ ἐκ προσαγωγῆς ἀλλὰ συνεχέα: paulatim igitur & quasi gradũ facere.

Ἐπυμνάζεσθαι τὸ ὄπι, significat, præter deambulationem etiam exercitationes, quas nudi magna ex parte faciebant: vnde & nomen. quanquam etiam in vestibus currebant, & in πυνοπλίᾳ, sicuti qui pyrrhicam saltabant. Tametsi nudi in certamen antequam prodirent, nomina dabãt: propterea quòd cum veteri consensu Græciæ sancitum esset, ne mulieres ad Olympicorum spectacula admitterentur: quæ contrà facerẽt, de Typæo monte supplicii causa præcipites darentur. Callipatira gymnastico habitu induta fefellerat: In primo Eliacorũ Pausanias.

APOTELESMA VII.

Quòd si minus validum sit id, quod oppugnat: omisso vomitu tertiã demito ciborũ partem. Quam viuendi rationem in dies item quinque promoueto: deambulationibus vrgeto: vocis vtitor cõtentione: dijs immortalibus vota concipito: atque ita sedabitur perturbatio.

CÆSAR.

In forti ac vehementi causa tribus remediis vtebatur. nunc si leuior ea sit, demit & frequentiam remediorum, & magnitudinem. Nanque vomitum non instituit: & ciborũ tertiam partem duntaxat adimit: addit vocis contentionem. Quoniam intenduntur nerui, multũ spiritus continetur. Ergo venæ & arteriæ inflantur. vnde vapores multos excerni necesse est. Itaque in libro De voce & anhelitu rectè dicit Galenus, vocem lædi aut tolli, læsis aut sublatis pectoris musculis. Hoc non ignorarũt Prisci Latini, qui in vocis contentione, laterum beneficio se vti prædicabant. Quòd autẽ hic vomitum non indicit, hoc multi medici semper fecere, vt vomitum non probarent. nam Asclepiades in libro De conseruanda valetudine penitus damnauit. Sed de eius vsu atque ratione Auicẽna in primo, Plinius in XI, Cornelius in I, Paulus in VII, Hippocrat. in multis locis. Apponit in calce, pietatis monumentum, quum dicit, Diis esse supplicandum.

Nota, ἐς πάν πέντε: quoniam suprà, Dies quinque dixit, iccirco addidit, πάν. nos expressimus per coniunctionem, Item.

Appellauit more suo perturbationem humorum, quam vocem ad eundem vsum hunc legimus apud Aristotelem.

APOTELESMA VIII.

Solem, & Lunam, ac cælum, tum sidera ipsa pura, suo quæque modo motúque agitantia si quas per quietem cernat, pro bono habebit. Valetudinem nanque, eiusque caussas commodas indicant. Cæterùm præsenti victus ratione habitudo illa seruãda erit. At si quid contrà eueneri t, morbum quempiam corpori minatur: ac validum quidem à fortibus indicijs, ab leuioribus debiliorem.

CÆSAR.

Tertia hæc pars est commentarii: in qua à rebus cælestibus sumit iudicia. Cæterùm apotelesmatis huius non reddit rationem. credo cùm anima res cælestis sit: si eas sedes vnde ortum ducit, claras, illustres, compositas per quietem intueatur, sua natura frui videtur, neq; à corpore impediri. ergo iubet victus nõ mutari rationem. Caluus addit, optimo nutricatu alere, minus prudẽter. si enim vox hæc, Optimum, simpliciter accipitur, non omnibus conuenit is victus optimus: sin (vt aiunt) secũdum quid, ne id quidem hic rectè ponitur. Neque enim optimo victu viuimus: & agricola, aut fossor, si cepis tum vesci solitus sit, prohibet mutari.

Dixit ἀναγέα, ἢ κατὰ τόπον: id est, neque præter morem, neque præter agilitatem. Modum intelligit semitam, ἀναγέα, tẽpus. ita iudicia tria sunt: puritas, vt succi in corpore sint defecati: agilitas, vt digestio, siue αἰάδωσις, suo tẽpore ac positu facilè euadat quô op' habet, neq; sit obstructio: modus, vt suo quæque cõponantur loco.

APOTELESMA IX.

Ac sidera quidẽ in ipso mouentur ambitu: Sol medium obtinet: Luna in concauo cælorũ est.

CÆSAR.

Quoniam dixerat κατὰ τόπον: necesse erat illorum motum declarare. Assignat extimam sedem sideribus, Lunæ citimam, Soli mediam. Cæterùm nimis leuiter percurrit. neq; enim planetas assignat, præsertim quum & doctis & idiotis scriberet. Fortasse autem in eodem errore cùm Platone fuit, quem etiam Apuleius, etiam M. Tullius. errarunt, quum supra Lunã statim Solis orbem agnoscerent. Id enim sensit ille in Timæo, & in Epinomide. idem Timæus Locrus in libro De natura. Anaximãder quoque, & Metrodorus, & Crates, æquè falsò Solem supra omnes planetas posuere. Sed & veteres iidem, atque inter eos Plato, nomina perperam aut indidere primùm, aut imposita postea recepere.

recepere, Nam quare φαίνοντα Saturni vocant sidus? quod quidem vix lucet. Nam φαέθοντα à splẽdore Iouem, rectẽ. sed alii aut Solẽ, aut Solis filiũ eodẽ nomine. Martẽ verò probè πυρόεντα. Venerẽ ἑωσφόρον, mutilẽ. Nam sequitur auroram haud parum sæpe. Pessimè autem στίλβοντα Mercurium. Ignauissima enim & maligna in primis luce est, sed & ignota penè semper. Illi igitur hæc nihilo consultius dixere, quàm Solinus illud: Venerem per multa signa procul ab Solis latere cùm statueret in natalibus vrbis Romæ. Sed & veteres augures nomina pro sua libidine miscuere: qui eundem Solem, Liberum, Mercurium, nuncuparunt.

Interpretati sumus περίοδον, ambitum: optimẽ. Nam περὶ idem est quod ἀμφὶ: vnde nostrum, amplector, ancisum, ansanctum.

APOTELESMA DECIMVM.

Si quid horum siderum extingui, lædiue, aut aboleri, vel ab orbita sibi attributa absistere videris: eadem quoque parte morbum occupaturum iudicato.

CAESAR.

Exequitur minutius quod scripserat generatim. Cum dicebat, Quòd si quid contrà eueniat, morbum imminere: declarat quot modis. Extingui: id est, defici lumine. signabit enim vitæ periculum, calore scilicet oppresso naturali. Lædi, puta mutare nitorem. significat in corpore detrimentum. Aboleri: hoc est, euanescere. indicabit corporis consumptionem. Absistere ab orbita propria, monstrabit digestionem impeditam. Quibus modis comprehendit actionem naturalẽ mutatam, læsam & ablatam. Atque his attribuit locorum in corpore cognitionem ex locis siderum: per stellarum indicia, corporis circunferentiam: per Lunam, caua corporis intima: per Solem, visceru partes, venas & arterias.

Quoniam autem superiori apotelesmate dixerat clara & εὐαγέα, & κατὰ τόπον: nunc posuit contraria: clara extinguntur, ἀναγέα impediuntur, modus intercipitur: quoniam non suis mouẽtur orbitis. Quo in loco videtur Hippocrates fuisse in ea sciẽtia: sidera lumine & motu agere. Igitur ij qui Galeno aduersantur petenti dies iudicatorios ab Luna, ita instant: Neque primã diem Lunæ, neque vicesimã septimam posse quicquã: propterea quòd tunc sileat Luna. Sed fallũtur ipsi. Hoc enim lædũtur ægroti in vicesima septima: quia Lunæ lumine deficiũtur. Sed satis sit hîc ad hoc respõdisse. Nam certo cõmentario eorũ insolentia repressa est. Nunc verò non semper dicamus lumine agere sidera. Neque enim lumẽ in terræ viscera penetrat ad metalla cõficiẽda. atque hoc in secũdo De anima disputatum est: vbi lux perlucidi corporis affectus esse, demõstratur. ita neq; ad radices, è quib' herbas eliciat, sese induit lumẽ. præterea sidera nihil vsque agerẽt extra illud hemispheriũ, quod illustrant. Nũc non agimus de calore, aliud enim agunt cùm calefaciũt. calor enim aliud à luce est. At Martis sid' in sexta domo non illustrat me: & tamẽ afficit morbo. Quod qui negant, nihil aliud norũt quàm negare: in quibus plus inscitiæ & pertinaciæ agnoscas, quæ euites, quàm sapiẽtiæ ac cõstantiæ, quas sequare. Neque enim eos puduit etiam Hippocratis verba in prognosticis detorquere: quibus monet ille, cælestia quædam obseruãda esse. Isti verò temporum tantùm mutationes ab Hippocrate designari dicunt, qui non legerũt in libro De aere, & locis, astrorum ortus & occasus ab Hippocrate commendari. Præterea sub Cane quare sunt incõmoda medicamẽta? nam tum Sol altissimus non est, neque dies lõgissimi: & tamẽ æstus maximi sunt: non ob siccitatem præcedentem, sed vi sideris: Nam etiam pisces sub aqua siderantur. Quin iidem aiunt à Lunæ vi mare non moueri. sed nescio quem repercussum promontoriorũ, in quæ incumbit. Adeò sunt impudentes, vt sectam fortuitorum non pudeat instaurare: cum tamen sese Galenicos vocent. Atqui quæcunque ordinario mouentur motu, certam motoris causam habeãt necesse est. Præterea cursus & recursus potius inter Africam & tractũ Europæ debuit effici. At contrà, videmus ea loca præter-radere pelagus, regredíque ab Oceani alueo, vnde nulla sũt promõtoria: subire quoque aduersos fluuios statis horis: quæ nunquã aut Lunæ fallant motum, aut fallantur. Illud quoque ignorarunt, cùm argumentantur, Lunæ motum diuersum esse propter epicyclum: ergo maris refluxum, si à Luna sit, variari debere: At non variatur, inquiunt, cùm Luna illi nihil: ignari verò quemadmodum Lunæ motus ille non est, sed primi mobilis: maris autem stationes deduci secũdum Lunæ corpus, quod certis momentis fuerit constitutum: cuius ratione ac situ æstuariorũ cessiones recessũsque sisti, aut incitari videamus: ita vt post initium septimę ad nonæ vsque finẽ. item ab vicesimæ initio ad calcẽ vicesimæ secũdæ, maris malacia obseruetur. Verùm quod de cõstantia eorum desiderari dicebamus. ita sanè est. Nã quo vultu negant ijdem, stellas suo lucere quanque lumine? Aiũt enim eas id ab Sole mutuari: cùm tamẽ vtrique Lampyridum generi lumen extra Solem cogantur agnoscere attributum. At verò si ab Sole lucent sidera, atque eadem non nisi lumine agũt: ergo solus Sol agit, omnia igitur vnũ erunt: ab vno enim principio proficiscuntur. Vnius enim lux, ab vna luce actio. Postremò Veneris sidus nunquã cõspicitur dimidiatũ, veluti Lunæ corpus: quare ab sese lucet. Æquè cæca altera horũ sectæ pars: quæ præter calorem nihil hîc agi putant ab astris. Sed illi nihilo felicius, qui ab sideribus frigora effici posse non putant: propterea quòd lumine agant: lumen verò cum calore sit. Principiò

hoc falsum est, lumen nusquam esse sine calore. In rebus enim per se frigidis & extrinsecus quoque glaciatis, lumẽ est in tenebris. Præterea falsum & illud, omnia astra vbique lumine agere. Tum calor non semper eodem intelligitur modo. nam viuit cicuta: qua viuit, calidior est quàm piper mortuum. Vita enim ab igne non est, neque ignis, vt ex Aristotele suo diximus loco. Frigus quoque res est quædam positiua: agit enim. nam ridiculũ est dicere terram frigidam esse, quoniam cum igne non est mista. sua enim forma frigida est: ergo habet causam positiuam & primam, & secundas.

Erat in codice mendum, ἐπέχεσθαι pro ἀπέχεσθαι.

APOTELESMA
VNDECIMVM.

Si ab aëre aut nube, sidera horum quippiam pati videantur, signum debilius est: sin ab aqua aut grandine, fortius. indicat enim in corporis intima humidum ac pituitosum illapsum excrementum. Confert igitur huic plurima exudatio: quam perficiet, si leuiore cursu primùm, mox etiam omnibus indutus vestimẽtis frequentius concitetur. Tum verò id quoque curandum est, vt postquam sese exercuerit, deambulet ieiunus multum. Præterea quinque dies totos expedit victitare, tertia dempta ciborum parte. Quòd si malum valentius videatur, etiam vaporario opus est. excrementa nanque per summa corporis educi debent: propterea quòd nocumẽtum in ambitu corporis est. Cibi verò sicciores cõducibiles sunt, item acres, tum asperi meraciores: postremò ij labores, qui maximè exiccant.

CÆSAR.

Dixerat siderum incommoda, quibus certa morborum genera denuntiabantur: nunc subdit causas incommodorum: vt in species deducat. Statuit differentiam inter nubẽ & aquam: propterea quòd nubes plus obtineat aeris: iccirco minus indicet discriminis humanæ vitæ imminentis. Cum aere nanque animã nostram coniunctam esse vitalibus officiis, tum alibi sæpius, tum in libr. De spiritu declarauimus. Explicat deinde τὴν ἀποτελέσματος: Pituitæ, inquit, argumentum est. Sed diuinitus dixit, φλεγματώδη, non φλέγμα. quoniam nullus humor in corpore purus est: quẽadmodum sensit Galenus in libris De morbo & eius causis: quanquam in hoc visus est sibi contradicere. verùm hoc alterius operæ est. Declarat locum vitiosi humoris, à circũferentia introrsum delati. Sidera enim ambitum significãt. Ponit curam: retrahit scilicet à vitalibus ad loca, vnde fluxerant. Summa deliberationis sic pote est, Sudor confert. Neque verò dixit, Sudor: sed, Sudare: vt ex actione artificiali sequatur sudor. Ponit modum: primùm, leuiter: deinde, in vestibus: postremò, frequẽter. Et ante cibum exerceat se: ne scilicet cruda in venis euocentur. Postea deambulet: vt si quid tenuioris antea eductũ est, id attenuetur deambulatione, quod est relictum crassum. tum indicit victum parciorem. Hactenus de aeris aut nubis indiciis: De grandine verò & aqua, quòd sint vehemẽtiora, post hæc dicit, In morbo valẽtiore, etiam vaporario vtẽdum. aperit enim magis. Statuit rationem: Quoniam, inquit, euocanda sint ad cutem nocumenta.

Tum apponit victus modũ. Siccos cibos laudat. ne augeatur succus malus, pituitosus. Acres proponit, vt excitent, & penetrent, & incidãt. sic origanũ pituitosis Galenus dat. Asperis vti iubet, vt abstergant, & impediãt ne intrò plura recipiãtur. Addit meraces esse debere: intellexit valde asperos, quorũ vis aliorum mistione non sit diluta.

Postremo loco similes apponit labores cibis: scilicet exiccãtes: ij sunt, labores vehemẽtes. Nam labores quidam sunt qui humectant: vt moderati, quibus soluũtur partes crassiores citra sudorem: propterea crescũt qui sese ita exercẽt.

Ἐξ ὀλίγου προσάγοντα, per initia paulatim ad sudores sũmos: nos diximᵒ, Primùm leuiore cursu.

Προσάγων ἐς πέντε ἡμέρας, eã victus rationẽ ad quintum vsque diem producere. Nos hanc continuationẽ explicuimus sic: Totos quinque. Similis locutio est etiã M. Tulij ad Atticũ, & apud Homerum in Iliad. δέκα παύματα τάλαντα. Herodotus in Thalia eodem quoque modo locutᵒ est, τὸν ἰχθὺν τὰ παύματα τῇ μυγὶ δώσειν. Cohæret huic dicendi modo Plautina festiuitas in Menæhmis, Elleborum potabis aliquot viginti dies. quo more etiam Aquitani nũc loquuntur. Sic idem in Pseudolo, At ne viginti modicis multauit minis. Addebant enim modum precio, etiam terminato.

Πυρίσσει, alibi fotus & fomenta interpretantur: ac rectè quidem. hic cùm de toto agatur corpore, vaporarium potius intelligimus, quas *stiefas* Germani vocant. Sic infrà distinxit πλὴν πυρέειν ἀπὸ τῆς θερμολουσίας.

Διαχρώματος, cutem intellexit, communi nomine cum colore. Color enim est affectio corporis visibilis in superficie per lucem. Nam oportet vt sit lux ab igni in mistione, & repercussus à terra: alioqui trãsmittuntur species per corpora pellucida, quæ Græci vocant diaphana, nos perspicua. Quomodo autem quædam in tenebris quoque videantur: & an in nigredine lux admista sit in secundo De anima disputatum est. Nunc verò hoc agimus, cutis & coloris commune vnũ esse nomen apud Græcos, propterea quòd color sit in superficie: qui color cùm visibilis sit, ab luce redigitur ad actu videndum.

Neque enim videretur, nisi eius species (quam barbarè atque ineptè Ioannes Gandauus vocat intentionalem, nos immaterialem) educeretur de materia per medium ad oculũ. Oportet enim in omni actione agẽs esse & patiẽs: sicut in tertio De anima disputatum est. Nam Platonis explosa iampridem sententia est, qui per ἐκπομπὴν putauit fieri visionem. Falsam quoque eorum esse sentẽtiam, qui sensum agentem posuere, suo loco demonstrauimus. Sicut ne illi quidem verum dicunt, qui negant ab luce educi species visiles. Argumentum quoque eorum claudum est. nam quum dicunt agens patiente suo esse nobilius, rectum est: quum dicunt animam nostram esse nobiliorem, iam deficiunt. Nam corpora vnde lux prouenit, corpore nostro sunt præstãtiora: intellectus illi, quorum vi lux agit, intellectu nostro nobiliores. Lux nobiliori modo accidens est, quàm ea qualitas quæ est in materia: quàm ipsa afficit immaterialitate sibi simili. Nam in colore lucem materiæ admistam inueniẽs lux cælitus emissa, eam sibi associat, atque repercussa à terræ partibus, quæ ibidem sint, defert & ad oculum, & ad parietes. sicut videmus in vitro viridi elici speciem, atque impingi solo, aut laquearibus, aut muro: eodem modo confieri visionem manifestũ est. Neque visio nobilior est quàm lux. sine luce enim non fit. & lux aliquid omnino Dei est, vel præstantissimũ. Illud quoque Auerrois falsum est in secundo De anima, quum dicit, Colores ab luce habitum non acquirere: propterea quòd, inquit, lux solius corporis trãslucidi habitus est. verum est lucem esse translucidi habitum, sed non est solius. Nam etiam corporis lucentis habitus est, quod tamen non est translucidum. Quare non solùm per lucem videmus, sed ipsam quoque videmus lucem. Sed idem in libro De sensili & sensu, longè maiore errore lapsus est, quum scripsit, Colorem sine luce, esse in potentia colorem. nam in medio quoque corpore solido color est: tametsi actu non videtur. Aliud enim est esse colorem, quatenus color est: aliud esse colorem, quatenus videtur. Accidit enim colori esse in superficie: potest enim etiam esse non in superficie. Deinde accidit ei actio lucis: neque enim absente luce perit color. Neque duæ ceræ superficies si iungantur, color corrumpitur: sed vnitis corporibus, vnus fit. At visilem esse, est proprietas fluens ab essentiæ principiis. Semper igitur visilis est, licet non semper videatur. Neque est potentia visilis, sed actu. actu enim habet suæ essentiæ principia, quibus videri aptus natus sit. Non igitur est affectus superficiei primò & per se, sed corporis. Lux ergo cũ mistione elementorum efficit colorem esse colorem, & esse visilem: à cælo autẽ demissa ab Sole, Luna, Venere aut aliis, non facit colorem esse colorem, neque esse visilem, sed actu videri. Verùm videar aduersari mihi, qui dicam à sideribus agi etiam vbi lumine suo non contingunt. Nam si sola intellectione mouent orbes suos intellectus, longè præstantiores sunt eorum affectiones quædam, quàm vt sequestro lumine opus habeãt. Igitur, inquiet aliquis, si negasti lumen intra terram admitti, qua ratione nũc dabis in solidis corporibus mediis colorem esse, in colore esse lumẽ? Facilis responsio est: aut ab initio, aut ab æterno (nihil nunc refert) mistam esse lucem in conditione coloris, dispertitámque multis rebus, sicut etiam elemento ignis: atque hanc mistionem in colore ab igne esse misto, non ab astris defluere nũc. His de causis Græci eodem vocabulo & colorem & superficiem appellarunt. Quoniam trãslucida corpora non videntur, iccirco quia eorum superficie non reflectitur specimen. Quare in visione refracta necesse est, remum videri curuum: propterea quòd, quæ pars extra aquã est, recta videtur: quæ sub aqua, ea per aquæ superficiem repræsentatur. Ergo necessariò fit visio angularis. Si enim esset corpus purissimè diaphanum, qualis aer est: non sic fieret. At aqua non ita est translucida, quin habeat id crassitudinis, quod sit satis ad reflectendum.

Caluus τοῖς οἰνόποσι, malè interpretatus est, vinis. neque enim vino solùm, sed etiam omni cibatu sicco præcipit vtendum.

APOTELESMA
DVODECIMVM.

Quòd si horum quippiam Lunæ acciderit: commodius introrsum retrahimus. Acribus quoque, ac salsis, mollibúsq; cibis vomitus ciendus erit. Concitatis tum cursibus, tũ deambulationibus, præterea vocis contentionibus vtetur. Nec nõ ciborum moderata, statáque exhibitione inediam tollerabit. Propterea verò introrsum retrahendum erit: quia nocumentum intus est.

CÆSAR.

Transit ad caua corporis, per Lunam: quemadmodum suprà monebat nos. Itaque per vomitum procurat. Addit modum, Mistis acribus: vt aceto, salsis & mollibus, vt garo, muria, oleo, piscibus. Acria nanque ventriculum pungũt, salsum detergit, molle supernatando nauseam facit: ergo ex ea discordia mouetur ventriculi fundus ad expulsionem per suprà, quæ est vomitus definitio. De quo stultè nimis litigant: naturalis sit, nec ne. Quasi dubium sit, quod fit per instrumenta naturalia, nulla arte adhibita vt naturam iuuet, an sit naturale. Nam si agẽs, instrumẽta: finis, natura est: nonne erit naturalis effectio? sed quia finis partim est naturalis, quoniam exonerare vult ventriculum natura, rebus sibi officientibus: partim non naturalis, quoniam ordinarius non sit: iccirco dubitare

ſophiſtæ potuerant. Itaq; Galenus in lib. quem inſcripſere De moribus liquidis, miſtũ poſuit, tam à vi voluntaria, quàm à facultate naturali: ſicut & anhelationis motum. quanquam verè miſtus dici nequit: quippe à ſola naturali vi aliquando proficiſcitur. Neque enim rectè argumentere: anhelitus ab vtraque poteſt fieri, ergo miſtus eſt. Sicut denſatio tam à frigore, quàm à calore poteſt euenire, ergo miſta effectio eſt. Nam voluntaria actio in membris mera nulla eſt, habet enim inſtrumenta naturalia: At naturales duplices: aliæ meræ, vt concoctio. aliæ cohærentes voluntati, ſed non ſemper, vt anhelitus: quare miſta actio non debet dici, ſed potius indifferens. Clamabunt nunc de nominibus. At nos reſpõdebimus, etiam pecudibus res notas eſſe, atque aſinis: ſolius autem hominis intereſſe rectè loqui. Eſt enim inſtrumentum maximum rationis oratio: cuius prauitate diſtorquentur ingenia. Galenus in libro tertio De poteſtatib⁹ naturalibus, vomitum violentum eſſe ſcripſit. quippe rectè. vomitus enim eſt cõtrarius deglutioni. Quare tametſi inſtrumenta naturalia ſunt, tamẽ eorum officia non ſunt naturalia. Verùm, vti dicebamus, aliquo modo officium quoque reiiciẽdi erit naturale. ſi enim non eſſet à natura, non fieret. Sed ordinarium non eſt: ſicuti neque canem tripudiare. Itaque ſi reſpicias ordinariam vtilitatem, malus motus erit: ſi intelligas finem, bonus. Quæ autem ſint cauſæ vomitum cientes, diuerſis operis ad varios ſpectant libros.

Dixit, τῇ ἀφαιρέσει, καὶ προσαγωγῇ: Quoniam non ſtatim, aut penitus totum cibi demenſum auferendum eſt.

Cùm autem ἀνάπαυσις ſit retractio ad contrarium: quánam ratione hîc eſt eo verbo vſus? Nam ſi intus malum eſt: intro qui trahit per vomitum, nunquã retrahet in contrarium. Solutio: præueniẽdo curabit, ne extrorſum procurrat. Sic retrahenda moles ſanguinis eſt in pleuritide ad remotiora loca, ne addatur collecto humori alia pars eò apta fluere: quamobrem contraria in parte vena ſecanda erit. Nunc miſcent cælum terræ. Principiò non eſt diſputandum, ſenſerítne Galenus hoc, ſenſerítne Hippocrates: ſed eos fatendum eſt, ab eodem latere præcepiſſe: id quod & omnes clamãt, & nos vltrò profitemur. Quinetiam ex Barbaris (ſic enim omnes, iſti præ ſe ſolis, vocãt) Raſis idem ſcriptum reliquit. Et Hippocratis verbum eſt, κατ' ἴξιν: quod verbum neque Curtius, neque alii complures intellexere: qui κατ' ἕξιν, id eſt ſecundum habitudinem, ſcriptum fuiſſe exiſtimarũt: atque ibi propterea quàm multã cogantur dicere, ipſi viderint. occaſio autem erroris fuit locus in lib. De victu in morbis acutis, vbi eſt κατὰ πλὴν ἕξιν καὶ πλὴν ἡλικίαν. verùm ἴξις Ionica vox eſt, quæ ſignificat directionem ac tractum, ἕδρα τοῦ ἵκεσθαι: vnde ἑξῆς. ea in compoſito vtitur Herodotus in Thalia, ſemel atque iterum: μέρος ἐγίνετο τῆς ἀπέξιος πρὸς τὸν μάγον, Item in Terpſichore, & alibi. κατ' ἴξιν autẽ non ſemel apud Hippocratem. Galenus vſitatiore verbo & ibi, & in tertio De criſibus declarat: κατ' εὐδυωρίαν, inquit, fluit ſanguis per dextram narem ab iecore, per ſiniſtram à liene. Hippocrates alibi ſæpe κατ' εὐδυωρίαν. In ſecundo Epidem. πλευρὸν ἀριστερὸν ὀδυνῶν, καὶ εἰς κατ' ἴξιν. Idem in primo De morbis: ἢ φλέβα ἀποσκάσαι ἢ ἐν τῇ χειρὶ, πλὴν παλιωτῶν καὶ λευκῶν, ἢ πλὴν ἡπατῖτιν καὶ ὁποτέρῳ αὐ ἐπὶ τὸ νέσιμα. vt definãt iſti ſuum κατ' ἴξιν intelligere de rectitudine villorũ quibus venæ conſtãt. Quaſi verò villis trahat vena, non autem ſimplici calore. Non enim mouetur vena, neque renes aliò trahũt, quàm ſimplici facultate ſine inſtrumentis motus. Sicut ne iecur quidem. Eſto igitur Galenus, aut quiuis alius ſenſerit hoc. Quid? cum Galeno interiit vniuerſum humanum ingenium? nonne artes per ſecula ceperũt incrementa, vobis ipſis imponitis ſilentii ſeruitutem? nonne hæ ſunt ſcientiæ liberales? Reſpondent, Credendum Galeno: quoniam vita breuis, ars longa. Sané. Ars adeò longa fuit, vt illius vitam exceſſerit. Itaque Arabes medicinæ finem impoſuere. Quare hîc videamus pro ratione atque experientia vtrum ſit agẽdum. Ratio igitur à fine peti debet. Finem, in quem intendimus, hunc eſſe par eſt, prohibere ſanguinis copiam, ne ad malè affectum cõcurrat locum. Hoc autem agimus, ne virtus opprimatur. Ergo ab oppoſita parte ſanguis detrahendus eſt. Colligitur autem hoc Geometrica demõſtratione.



Sit dolor in latere ſiniſtro: aperta indidem vena plus trahet à dextro in ſiniſtrũ, quàm dextra inciſa in ſiniſtrum. Plus enim humoris eſt inter circunferẽtiam dextram, & doloris locum, quàm inter eundẽ locum, & circunferẽtiam ſiniſtram. Sit itaque pectus hominis, A, B, C, D. medietas, H, I. dolor, E. vena Galenica, F. vena Auicennæ, G. plus eſt humoris inter G, & E, quàm inter E & F. Ergo inciſa F, & minus auferet, & plus attrahet, facto motu. vnum habent quò profugiant: nõ prodeſſe, quoniam nulla ſit, vt appellant colligantia. At nos dicimus, non nũc agere, vt quod fluxit detrahamus. neque enim magni momenti eſt: neque quiſquam prima ſtatim die mortuus eſt: ſed poſt multam affluxionem, quam tollit vena cõtraria remota: vena autem eiuſdem lateris non ſolùm non tollit, ſed etiam trahit ad locum malè affectum. Itaque toto poſt facto fluxu, ex eadẽ parte nos quoque detrahimus. Quod autem verum ſit quod dicimus, videmus quotidie. Sæpe enim numero euenit, vt ſecta vena in aduerſa parte, ad latus illud dolor ſeſe tranſtulerit, relicto priore loco: vt appareat eos falſa dicere de colligantia. Ac de ratione quidem hæc. De experientia autem quid dicamus, facilè in promptu eſt:

ptu eſt: Iam duodeuiginti annos niſi vnum vidimus, ex eadem parte inciſa vena, euaſiſſe. Et ſanè corpus erat athleticum, vt etiam magis miraremur. Verùm ſcimus multos etiam ſine phlebotomia ſanos factos. At plus octoginta redegimus in commentarium quinto ab hinc anno, qui omnes eo curandi genere ſint extincti: cùm plus quingenti his duodecim annis euaſiſſent, quibus in aduerſo cubito vena aperta fuerit. Verùm iſti obiecto nobis nomine Barbariæ, ſolum Galeni nomen etiam aduerſus inuictas rationes crepãt, aiúntque malle ſeſe cum eo errare. Errent igitur.

APOTELESMA XIII.

Si Sol harum rerum vlla afficiatur, vehementius malum hoc, curatúque difficilius fit. Oportet enim vtroque verſum diſtrahere, curſibus & rectis, & flexuoſis: item deambulationibus, aliiſque omnium generum laboribus: præterea inſtituta ciborum temperatione poſt vomitiones, ad quintum vſque diem vti.

CÆSAR.

Tertiam partem excutit ab Sole: qui cùm media corporis ſignificet, difficiliorem morbum indicabit: propterea quòd & intrò & foras diſtrahendum erit.

Dixit δυσεξαγωγότερον propter eã rationem: Duas enim in partes, eas denique contrarias educendum: quoniam cùm intus laboramus, ea pars proprior eſt vomitioni & deiectioni. cùm in exteriore circunferẽtia morbus apparatur, ſudore facilè extrahitur. at in medio ſi ſit, & hoc & illud cùm ſit agendum, operoſior ſanè cura videatur.

Poſuit δὲ, pro eo quod eſt γάρ: eſt enim ratio difficultatis.

Dixit δεσμοῖσι καὶ τόξοισι, complexus vtrunque currendi genus, rectum ad metam, & curuum circum metam. Rectus autem fuit triplex: primus, ſimplex ſtadium: ſecundus, duplex vno curſu ſtadium, quem δίαυλον appellarunt: tertiũ, duplex reflexus recurſo, quem δόλιχον nominabant. eum cordis curſui, quòd ad vitam ſpectat, cõparat Ariſtoteles. Falſum igitur eſt quod in codicibus Suidæ ſcriptum circunfertur, ſtadiodromos longiorem tractum exhaurire curſu, quàm dolichodromos. At contrarium conſtat ex epigrammate Parmenionis, quod qui volet quæret in primo libro. etiam prouerbio raro, atque ab iſtis prouerbialibus præterito, inſigne, μὴ ζητῶ ἐν σταδίῳ δόλιχον. Pollux in tertio, more ſuo vocũ farragine oſtentata, ignoto nos alere cibo inſtituit. nihil enim declarat.

Caluus peſsimè tranſtulit, Vtrinque deducito. Imò verò vtroque: ſcilicet ad intima, per vomitũ: ad extima, per ſudorem. ergo ἀμφοτέρως non ἀμφοτέρωθεν ſcriptum eſt, ſicut θύραζε, non θύραθεν, vt loquitur Ariſtoteles.

Mirum, in hac affectione remedium à venæ ſectione non attigiſſe: niſi ſi putemus partẽ hanc pertinere ad curandi artem, nõ ad præſeruandi. Quod locis aliquot innuere Galenus videtur, in libris De ratione conſeruandę ſanitatis. Dubitarit tamen quiſpiam. nam cùm vomitum ciemus arte, quippe cibis acribus ac pinguibus: ſanè eiuſdem ſtudii erit phlebotomia cum curſu, cum vomitu, cum lauacro, cum vaporario, cum fricatione. Verùm alibi oſtendimus, ſanantem & præſeruantem non remediis differre, vt putarunt veteres, & fortaſſe Galenus: ſed fine. Quoniam ſanãs id quod non eſt venatur: illa quod partum eſt, ſeruat. Finis enim etſi reipſa vnus eſt: at diuerſa ratione fit diuerſus. Facit & illud ad hoc, quod infrà etiã elleboro vtitur.

APOTELESMA XIIII.

Sudo cælo ſidera ſi premi, præque ſiccitate imbecilla ſuperare ambitum nequire videantur: periculum à morbo imminet. Igitur laboribus temperare, humidioréque victu, atque molliore vti, operæ precium eſt: tum balneo, animi tranquillitate, largiore ſomno, vſque dum pacatus ſit motus.

CÆSAR.

Redit ad ſidera, aſsignátque alias affectiones pro ſignis diuerſorum morborum à prioribus. Superà poſuit à plenitudine, nunc ab ſiccitate: ſub qua comprehẽdit inanitionem. Siccum enim corpus ſucco ſuo eget, hoc loco. nam aliqua corpora cibi ſicca ſunt.

Poſuit iccirco αἰδεῖν: quoniam ἕδρα τὸ αἴδεσθαι. Nos igitur ſignata voce, ſudum: quòd eſſet ſine vdo. Caluus ſerenum, rectè: ſed vocis radices non eſt aſſecutus. Agricolarum enim vox fuit, ſerenum, quo tempore ſerendi & occaſio & facultas eſt.

Duas ponit affectiones: primam, βαλλέσθαι, onerari, aggrauari, premi. Tractum ab iumentis, quæ ſub ſarcinis attritum tergus habent. ſic pigra aſtra intelligit. Altera affectio, cùm dicit, non poſſe ambitũ ſuperare: quippe ibi oppreſsionem indicat. ἄντυγα intelligit, cliuum orbitæ ſummum: ſicut etiam in epigrãmatis μεταφορικῶς, ſummas diuitias. Nam ἄψις quanquã rotæ curuaturam ſignificat, ſupremam tamen orbis ſedem agnoſcunt philoſophi, qua maximè à terra diſtãt: Augem nominant recẽſiores. Addit cauſam: Præ ſiccitate, inquit. Quoniã veteres putarunt, vt noſtrum ignem, ſic cæleſtem ali humido. Ita Epicurus ſtultè noctis humiditate accendi ſidera, die extingui, cùm dicũtur occidere: vt poetæ ferẽdi ſint, qui dixerint,

-conuexa palus dum ſidera paſcet.

Statuit victum humidum:& materialiter,à cibis: & effectione,dupliciter:intus somno, foris balneo. Vtrum autē somnus siccet, an humectet, puerorum quæstio est:iccirco quia ieiunorum atque inanitorum corpora siccescunt somno reducto introrsum calore naturali,qui reliquū humidum depascatur.

Posuit,ἀλλὰ,pro,εἰ.

Ῥᾳ: μὴν Caluus hic quietē interpretatur, rectē: alibi desidiam,minus rectē. Neque enim interest hominis liberalis & frugi esse desidem:trāquillum & compositum decet. at ῥᾳθυμία illud potius,quàm hoc significat. sed Græcorum licentiam;Romana castitate oportet temperari.

APOTELESMA XV.

Sin ignem calidúmque appareat id quod oppugnat illa,flauæ bilis arguit exuberātiam.

CÆSAR.

Non posuit curam: pone tu quietem, somnum, cibum frigidum atque humidum, vomitum quoque.

Τὸ ἐναντιούμενον, quod oppugnat sidera: πυρετοὺς καὶ θερμὸν, est πάρειλκον, tum oratio decrescit: Si dixisset,θερμὸν καὶ πυρετοὺς,commodius faceret. Duos tamen noxæ gradus recensuit more suo: vehementem primo loco, minus vehementem secundo posuit.

APOTELESMA XVI.

Quòd si victa euanescere videantur:timēdum est,ne morte morbus finiatur.

CÆSAR.

Propterea quòd astra lucida sunt, eis cū vita nostra conuenit sic satis. Spiritu nanque & luce constat calor noster naturalis. Itaque non temere fabulantur,Promethei furta,ætheris sedibus sublectum ignem efficto corpori conflasse animam. ipsos item spiritus non solùm quasi instrumenta,sed veluti vinculum quoddam materialis atque immaterialis putabat Aristoteles. Animas quoque ipsas,quæ obnoxiæ corpori non fuissent, redire ad caua orbis Lunæ,vbi puro in loco agitent,cùm multi dixere, tum eorum aliqui videntur ex Atlantico Platonis accepisse. quàm sentētiam Euripides explicauit in Oreste. Neq; illorum mēs ab horū sententia est aliena, qui in lacteo balneo feliciūm animas cælo perfrui prædicāt:propterea quòd suā illæ seruarint naturam,cælestem scilicet,quam accepissēt: deberi iure optimo easdem sedes,vnde primùm profectæ sunt. Neque enim fieri posse aliter, quàm vt locus certus certæ locatæ rei conueniat.

Rectè dixit,ἐς θάνατον ἐκ τῆς νόσου. Indicauit enim tractum & motum humorum per dispositionem subeūtium letalium qualitatum, cùm dixit,ἐκ,ἐς: duas complexus metas,totidem præpositionibus.Indicauit finem per θάνατον: intelligo nunc finem, non perfectionem. Nam Aristoteles sapienter negauit, mortem finem esse:terminum dici posse non negauit.

His rebus significatis ita respondent significātia: Nam κατάμυα, tractū morbi & pugnæ significat:ἀφανίζοιτο,tractus metam.

APOTELESMA XVII.

Si autem vegeta ipsa,ac aduersarius in fugam verti videatur, cáque fuga cita sit: illa verò persequantur:in discrimine homo est,nisi caueat,ne mente moueatur.Optimè confert his victitandi modus,exhibito veratro:aut saltem expedit, aqua victum attenuari, neque vinum bibere. Quòd si vinum detur, esto id album, tenue, molle,aquosum. Acria nocent, & ea quæ desiccant, aut calefaciūt: item salsa. Labores quibus assueuerit, & cursus frequentiores in veste,boni sunt. Abstineat fricatione, lucta,vnctione. Molliore somno, & animi quiete iuuabitur: sed ita, naturales labores vt ne prætermittat. A prandio deambulato. Conducet etiam,si sudet in vaporario,ac deinde vomat. Dies triginta modico victu vtitor. Sin replebitur,ex dulcibus, & aquosis, & leuibus bis in mense vomat.

CÆSAR.

Ponit nunc euentum contrarium superiori: sed admiscet aliquid incōmodi. Nam simpliciter dixerat, si astra vincerētur atque euanescerēt. nunc contrà dicit, si vegeta sint. Sed addit,si fugit aduersarius: non dicit, si vincatur.addit & id,illa persequi. Ponit post hæc significatū, furorem: magnum quippe motum indicari. Apponit curam duplicem, euacuantem & regentem. Euacuat elleboto: de hoc alibi. nam prisci illi sic agebāt: nunc desitum est. Quamobrem quasi se emollit,cùm dicit, sin veratro nolint: at saltem humida mollísque victus ratio indicatur,vt & materia & forma simul adsint.Intelligo hìc materiam,rem molliter crassiorem; cuiusmodi pedes sunt, atque extrēma animalium.Intelligo formam,cōtrariam calori ac siccitati,vt aquam: itaque interdicitur iis vino. Corrigit deinde imperij seueritatē: saltem,inquit, album sit:subtile,molle,id est,languidum:& aquosum.qualia sunt apud nos vina Tridētina:item apud Alpinos, ad viculum, quem appellant Ferrariam. Acuta nocēt, quia incitant:ficca,quia acuunt:callida,quia mouēt: salsa,quia siccant.

Animaduertamus tamen, cùm addit labores acres,ac vehementes iuuare. Facit enim dubiam sententiam hoc:siquidem exiccant: sed ita iussisse videtur, vt distrahatur materia à priore motu atque excernatur è locis nobilioribus: quare postea quietem indicit. Illud quoque ambigamus,fricatio conferat, necne,quæ cutē inspisset. Nam altera, quæ digerit, mirificè cōducit. Itaque vnctionem quoque sustulit:propterea quod cutem efficit spissiorem. Sic enim ab ἀλείφειν ἀλίνδησις: nisi sit ἀλίνδησις aspirata, ὥσπερ τὸ ἄλλεσθαι. Sic etiam in secundo De victus ratione. Tandem amouet labores exercitiorū: quoniam reliquiæ humorum in quietis officio sunt continendæ. Per somnum igitur humectationem quærit,ac propterea sudorem. Optimo verò consilio quies quæritur: motui nanque contraria est: Et à motu timetur ægritudo: alioqui motum contrarium exegisset. Sed inordinato furoris motui nullus est cōtrarius motus:sola quies pro cōtrario præcipitur. Neque potuit iubere,quod fecimus nos:qui tyronem,quē milites decliuo in dolio demisissent, vertiginosum,ac stupidum factum curauimus, contrario motu,sed leui repetito.

Ordinarios labores continuat, nequid sordium in membris relinquatur: eos appellat naturales, scilicet qui vim naturæ non afferūt, qualis deambulatio. Nam lucta artis est: quod & ex epigrammate discimus, luctam Argiuorum esse, non Afrorum. Si enim naturalis esset, esset itē omnibus gentibus communicata.

Sudorem tātùm quæsiuit à vaporario: maius tamen commodum adipiscimur ex lauacris. humectāt enim, non solùm resoluunt,ac digerūt.

Dixit,βεφθῆναι, contrarium, πρὸς ἀφανίζοιτο, vt monebamus,astra ali humido eorum sentētia. Sic Ptolemæus Lunam esse humidiorem, quippe quæ proxima terræ sit:Saturnum frigidū, quia distet à Sole. Verùm & falsa est sententia, & ridicula:falsa,nanque Venus prope Solem est, sicut Mars, à Marte adeò diuersa, vt eum temperet:ridicula, cùm putat effectiones esse causas causarum suarum:vt omittam eum sibi aduersari, qui in signifero eodē terna astra quaternis coniugationibus agnoscit inter se non solùm diuersa, sed etiā contraria. Caluus verbum expressit,sententiam oppressit:sicuti τὸ ὑπάρχον,cùm interpretatus est, quod adest. Nos rectius,quod instat:quod subsistit, dixisset T. Liuius,vt in primo,feras subsistere.sed τὸ ὑπάρχον est, lacessens: vt est apud Demosthenem in oratione contra Neæram, ἐχ' ὑπάρχοι, ἀλλὰ πιμωρούμενος. & mox, τῆς γὰρ ἐχθρᾶς πρότερος ἕκατος ὑπῆρξον. Haud multum abest ab illo Platonis in Euthyphrone ἐπεξιέναι:nos dicimus Latinè persequi.

Nota, τοὺς δὲ διώκειν: ἀγέρας scilicet intelligit. Dixit κραπιδέπας, vt ostenderet ellebori vim. Breuitatem obseruamus ex illis verbis, εἰ δ' οὖ: nos sin autem.

Τείψις,vnde τριβάδες. Notauit genera gymnasiorum, ἅλμα, ποδωκείλω, πάλιω, tria tantùm inter cætera.

Aduerte μαλακωτεύπω, scilicet naturam,aut morbū,aut habitū. Nā alius dixisset μαλακωτεύσω.

Caluus sententiam contraria sententia expressit iucundè, πλὴν ὅσ' κατὰ φύσιν πόνων:ne laboret, inquit Hippocrates,nisi laboribus naturalibus.Ille sic,cæteris laboribus præternaturalibus superfedeto. Sed vocē addit vnam,Cæteris,vt opinor incommodius. Cùm enim dixisset,somnum,quietem,alia genera procuret:non debuit addere verbum, cæteris. Neque enim ii labores sūt, sed quietes, somnus scilicet, ac desidia.

APOTELESMA. XVIII.

Si stellæ nullo impellente, per se ipsæ palantes videantur:animæ perturbationem propter curas indicant. Ergo animi remissione opus est, atque appulsione ad iocosa spectacula, aut saltem ad scenicas voluptates biduo,triduóve. Itaque aut sedabitur, aut in morbum incidet.

CÆSAR.

Vexari ab hoste docuerat, nunc sine hoste ponit perturbationem, si stellæ vagari videātur nullius impulsu,sed suapte agitatione: sicuti cùm vagantur ii,qui laborant lycanthropia.Indicatur igitur causa esse intus. Dixit animæ perturbationem,quoniam,vt diximus, putabant animæ affectionem esse mærorem,furorem, & alia talia: id quod nisi ita intelligas, nequeat cū signo cōuenire. ponit curam,spectacula: sed addit, aut sedatum iri, aut in morbum casurum: penè ridicule. Neque enim absimile illius est, O Laërtiade quicquid dicam,aut erit,aut non. Quare verò non apposuit curam, quæ à morbo præseruaret? an quia rarò admittunt medicamenta, quibus quicquam possint proficere? Neque enim ex anima excernitur quicquam per ea, quæ deiiciuntur. Stultè nanque dicat aliquis, excrementa esse animæ partem, quanquam deteriorem. Verùm vbi corpus simili iam affectum fuerit qualitate, tunc curādo ipsum,tollitur morbi sedes. Ita dixeris, si cum illis intelligas animum affici. Sic morbum,Erota, curant castigando. Ego verò cum meliori seculo nego in anima quicquam esse morborū, sed in spiritibus, vt in rebus species deferentibus. Sublatis enim humoribus cessat furor. ii enim quales quales sunt,tales erūt effectiones.

Ponit differētiam inter iocosa spectacula, id est, ridicula:& τὰ θεάματα simpliciter. Multa enim genera sunt scenicarum spectationū seria, eadémque iucunda:vt Trinummus, vt Captiui, & alia,Plutus,Ranæ,Nubes.

Dixit,πλανᾶται. Nos ad verbum, palare:indidem nanque deductum est Latinum nostrum.

APOTELESMA XIX.

Quæ sydera ex orbita sua excidere videbũtur, ea si pura, si illustria prorsum promouẽt, bonæ valetudinis argumẽtum præbent: Quod enim in corpore parum est, id naturali circuitione post vesperas ad manè excernitur. Nam quæ in ventrem demittuntur, & quæ in carnem redundant, ex circunferentia omnia deciduntur.

CÆSAR.

Nũc illam explanat partem, in qua dicebat sydera ab orbe suo aberrare. Et duo statuit. Aut enim ab occasu ad ortum tendunt: ea est illorũ rotatio naturalis aduersus primi mobilis diurnam versationem: igitur significat parum esse, quod acutè demissum sit: Aut è contrario feruntur. atque hoc sequenti apotelesmate explicabit. Nũc verò expultricis declarat vim: quæ de rebus attractis cognoscit, ac iudicat: expellítque quod excretum sit, aut à se, aut à subseruiente sibi excretrice. Intelligo nunc excernere, separare. Addit autem motui qualitates duas: puritatem, & lumẽ. Multa pura sunt quæ carent lumine, vt translucida corpora. Nam lucem habent, quoniam transmittunt species: lumen non habent, quia non emittunt. De igni autem dubitatio est, & alibi discussa à nobis. vtranque enim naturam videtur obtinere: idcirco diximus, multa: non, omnia. Præterea illustria sunt non pauca, eadémque impura. Impurum voco, quod admistum quippiam habet non illustre, vt & alia multa, & Luna ipsa: Maculosa enim est, non ex luminis, vt aiunt reflexione, sed ex diuersitate partium. Nam quid mirum? Nónne diuersum est ipsius corpus à cælo? nónne ipsa dicitur tota lumine carere? Reddit rationem sanitatis: propterea quod à corporis circunferentia quod demittitur, purum esse indicatur, siue in ventrem recipiatur, siue in carnem redũdet: & quantùm quod expellitur in ventrem: & quantùm quod retinetur ad alendum, recensuit. Dixit igitur ἐκκρίνεται: quoniam superfluum est, nec tamen vitiosum. In quantitate peccatur, non in qualitate: purum enim est.

Dixit, πρόσω: intelligit ad exortum. Is enim motus syderum horum est, quæ circa octauum ferũtur orbem. hoc autem declaratur sequenti apotelesmate: in quo contrarium motum explicat, cùm dicit, καὶ πρὸς ἑωθέρου. Itaque Caluus benè, ac scitè legit πρὸς ἢ ὄρθρον ἔχει: non vt vulgò scriptum circunfertur πρὸς ἢ ὀρθῶς ἔχει.

Non est contemnendum quo pacto illud intelligamus ἐν τῇ κοιλίῃ. Nam in ventre non fit separatio eorum, quæ à cute demittũtur: sed expultrix exigit à cute ad intestina: itaque ad intestina melius, scilicet ἐς τὴν κοιλίαν.

APOTELESMA XX.

Quod si aut atra, aut obscura fuerint, & in occidentem delata, aut ad mare, aut ad terram deuergant, aut ferantur sursum: morbum portendunt efficatius. Quæ sursum nituntur, capitis indicant distillationes. Quæ ad mare demittuntur, tubera in carnem designant eruptura. Commodè his cibi tertia detrahetur pars. Quem viuendi modũ in quartum vsque profert diem: atque interea vomet: postea in dies totidem tum vomitus, tum pristinam inibit cibi rationem.

CÆSAR.

Nunc alteram partem expedit contrariam superiori per motum, cùm astra ad occasum deuexa videbuntur: Item per qualitatem. Atrum, inquit, aut obscurum: atrum puro oppositum: propterea quod à terra nigrorem fieri putabãt: inter quos etiam fuit Theophrastus. Terræ autẽ natura maximè distat à superioribus. Altera qualitas directo opponitur superiori commentario: quippe obscuritas lumini.

Post hæc cælestia cum elemẽtis coniungit in motu: Nam motus aut à centro est, aut ad centrũ, aut circa centrum vniuersitatis: idque dupliciter: aut ab Subsolano in Fauonium, vt diurnus motus: aut è contrario. Præterea hîc quoque variatur tribus modis. Primus est, propterea quod tàm octauæ sphæræ, quàm planetarũ poli alii sunt à polis mundi: itaque deuexiore spatio feruntur. Secundus est eccentricorum, quorum apsides intelligimus. Tertius epicyclorum: quos frustra nituntur excludere Peripatetici: idcirco quia & centrum, & vniuersum motum extra centrum terræ habeant. Nã quod aiunt, omne quod mouetur, circa stabile aliquod moueri: fatemur. Cùm dicunt terram esse illud stabile: negamus. Sed poli sunt illud stabile, ob quod rotationes versantur. Nam si terra in causa esset, qua mouerẽtur, tunc quorsum versus contingeret, verti possent, in Meridiem, in Septentrionem. Et ridiculum est dicere, cælum non moueri posse, nisi subesset terra stabilis. Satis enim est habere punctũ medium circa quod moueatur. Duo enim stabilia necessaria sunt in rotatione globi: profundum, & latum. Nam ipse motus in longitudinẽ fit. Sicut circulus si moueatur, satis habet: quoniam profunditatẽ nullam habet punctum in media latitudine quietis sedem. Igitur centrum mundi, est sedes quietis in profundo, poli in latitudine, motus in longitudine. Si igitur hæc satis sũt ad motum: vbi uis fieri potuit vt minores cæli in maioribus versarentur. Satis enim est naturæ cæli, si neque ad centrum, neque à centro moueatur: quoniam neque leuis,

uis, neque grauis sit: itaque propter hanc naturæ rationem circa centrum vertitur: propter odorum rationem suorum, suo motu vertuntur epicycli. Ergo si per somniorum species ascendere videantur: superioris corporis notabis partes. Nam ita quoque in animalibus, siue reptilibus, siue piscibus, τὸ ἄνω, intelligit Aristoteles, totum pectus, & caput: τὸ κάτω, quæ inde in caudam, aut ad pedum ima: cùm tamen è situ piscium, pars superior videatur dorsum, & occiput: inferior autem maxillæ, ac venter: sed has pronas, ac supinas malluit ille appellare. Nã ita diuino viro visum est, nobilissimam partẽ ei parti comparãdam, vnde duceret originem: scilicet caput, cælo. Sic etiam dicimus, deiicere superflua cibi ab ore ad exitum excrementorum. A mari autem ventris indicia sunt. vnde & Latini aluum ab aluendo dictam voluêre: quanquam nos aliter suo loco. Tum quia inter cælum, & terram est: tamen à terra non indicat pedes, sed carnem, in quam tubera eruptura minitatur. Sed ita illi placuit, vt diximus: quanquam ne omnia quidem tubera terrestria sunt.

Mirum distillationes ex ascensione indicari. Nã contrarius motus est. Intelligendus est ascensus vaporum prius, mox descensus eorundem condensatorum.

Interpretati sumus, τὸ μᾶλλον, efficacius: scilicet, quàm cætera. Quoniam signa excellenti prædita natura sunt, statóque motu, non temerè, mouentur: à quo si aberrarint, validiorem causam subesse putandum est.

Dixit, κομίσωσι τὰ σπέρματα πάντα: id est comparare. verbum est agricolarum cõuehentium fruges. quo & Hippocrates alibi, & Thessalus filius in legatione vsus est.

APOTELESMA XXI.

Horum si quid in cælo insidere, idque purum, humidúmque apparebit, sanitatis nota est. etenim cælitus id in hominẽ descendit: quippe anima tale cernit, quale in ipsam ingressum est.

CÆSAR.

Ponit quietem, cum dicit, ἐφέζεσι: ergo humorum concordiam. neque enim aut summa, aut ima petunt. Ponit calorem, & lumen, quasi formam vitæ: scilicet stellarum puritatem. Ponit materiam, & pabulum: scilicet humiditatem. Post hæc signa, ponit significatum: quippe sanitatẽ. Ponit inde rationem signi, & significati: idcirco quia cælitus descendit. Habet hoc probationem à cælorum proportione cum vita nostra. itaque iisdem vocum lineamentis, & calor, & vita, & cælorũ Deus dicta sunt, ζῆν, ζῶν, ζεύς. Astruit postremo loco rationis probationem. Quoniã anima, inquit, tale cernit, quale à Diis immortalibus, cælesti de sede demissum recipit. diuina sanè sententia, qua demonstrat animæ cum cælo coniunctionem. Habet autem Geometricam rationem: propterea quòd à cæli circunferentia deuehuntur diuinæ illustrationes, quæ per animam perinde, atque per cognationis hospitium transeunt in res corporis elementares, tanquam in centrum lineæ.

Ἐξ αἰθέρος, ab æthere, id est à cælo. quoniã ἀεὶ θέει: semper enim perpetua vertigine volutatur. Itaque Plato in Cratylo inde deos dictos putat: ἴοντας, inquit, δρόμῳ: Solem, ac Lunam, quanquã maximus ille vir paulò infelicius addidit etiã Tellurem: quæ sententiæ huic non solùm non seruiret, sed etiam aduersaretur. Neque enim mouetur tellus, nedũ vt θεὸς sit, à cursu. Quare in vndecimo De legibus castigatius est locutus: ἥλιόν τε, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, καὶ γῆν, ὡς θεοὺς καὶ θεῖα ὄντα. vt priores θεοὺς dicat: terram autem θεῖαν. Assentitur Aristoteles quoque præceptori suo: qui in primo De cælo ætherem ab æterno cursu dictum vult: castigátque Anaxagorã, qui ætherem pro igni intellexerit: quid & turba literatorum, πάντες τὸ αἰθέριον: & videtur sensisse Cicero in primo De natura Deorum, vbi ætherem ardorem cæli vocat. Sapientius, à Præceptore Anaxagora dissensit Euripides, qui in Alexandra dixit, αἰθέρος θὸς θωμάτων. & in Oreste Helenam inter diuos relatam collocat ἐν αἰθέρος πτυχαῖς. sed Stoici summum Deũ ætherẽ intellexêre, vt est in quarto Academicarum quæstionum. Eundem igitur cum loueretur esse Chrysippus, & alium ab igni. Quare in secũdo De natura Deorum, eum vocat cælum nulla peregrina concretum natura: & in eodem, cæli complexus, qui æther appellatur: quanquam Paccuuius ætherem videatur ignẽ agnouisse, cuius amplexu aër ambiatur.

APOTELESMA XXII.

Quod verò atrum, atque impurum, obscurúmque fuerit, morbum minitatur: quanquam nõ à repletione, aut inanitione, sed ab eo, quod extrinsecus ingruerit. Citatis decursionibus curantur ij eo vsque, dum corpus, sed intra modum, dissoluatur. Compresso verò spiritu excernat, quod obuium sit. Post cursiones, spatia faciat incitatiora. victus modus mollis, leuísque esto, ad quartam vsque diem.

CÆSAR.

Cùm causæ aliæ sint intus, aliæ extra: ea, quæ intus sunt, & efficientes & materiales esse possũt: Nam vt sunt subiectæ qualitatibus deferẽdis, materiæ sunt: vt impediunt naturales effectio-

nes,efficientes erunt. Eas veteres in cõiunctas, & antecedentes partiti sunt. Nam quæ morbum antecessissent, προκαταρκτικὰ appellarũt: easdem facto morbo,coniunctas: vt peponis caro, antequam corrumpatur, & postquam corrupta sit. Recentiores, qui omnia subuertère,vt doctiores videantur, nullam apud Galenum intelligi coniunctam causam profitentur: propterea quòd ea tum causa morbus sit. sed neq; verum id est, neque Galeno asseueratũ. Morbus enim esset substantia,non accidẽs.Sicut ridicule lapidem in renibus,morbum appellant: cum lapis sit substantia: effectio lapidis morbus est enim impediens, impedimentum, impeditum.Fatetur Galenus morbum esse naturæ officiorum impeditionem: Impediens est phlegma putridum.est igitur effectio putrefacti phlegmatis, morbus,aliud sanè ab ipso impediente, atque illi accidens. potest enim non impedire. Quod si idem cum illo est:ergo substantia erit in substantia:& idem à seipso abesse poterit,sine sui corruptione:vnum erit duo, & duo vnum, & idem aliquid,ac nihil. Vides bonos metaphysicos: qui si clament hæc ad medicum nihil pertinere, quid igitur litigant? quid argutantur? quare volunt mutare receptas sententias philosophorum? quamobrem non se continent in sua pellicula, quam perangustam sanè, vbi volunt distendere, disrumpunt? Eiusdem est sapientiæ profiteri, calculum esse morbum in numero. Videamus morbi rationem, quo deprauantur naturæ officia, aut minuuntur, aut tolluntur. Ergo morbus in figura, quo figura deprauatur: in quantitate, quo quantitas: igitur in numero quo numerus. At lapis ad corpus nihil pertinet. eius enim numero, non deprauatur numerus partiũ corporis: sicut sexto digito, defectu oculi:sed in via morbus est: via enim læditur. Hæ sunt causæ interiores: exteriores autẽ non nisi efficientium rationem obtinere possunt: vt Sol æstuationem efficit,nix gelu. Ab his morbo affici nos, vt supra diximus, olim stulti æquè ñegarunt quidã: quos Galenus cùm alibi, tùm perpetuo commentario fusius, quàm acutius arguit. Eas appellant Græci procatarcticas: quippe quæ prostent nocituræ,etiam ante omne initium, ita vt exteræ sint à principiis coniunctis ægritudini. Hasce causas dicit hîc imminere futuro morbo: cuius signum sit sydus, quod non moueatur: idémque atrum sit, impurum sit, obscurum sit. Atra sũt etiam quædam splendida, non propter eam qualitatem, sed propter situm partium. Nempe ex leuore, vnde fiat aëris repercussus: vt gagates,cornu, ebenus, postquam sunt expolita. videmus etiã impura lucida, vt dicebamus: idcirco atro addidit, impurum, sordidum sanè: vtrique verò opposuit obscurum.

Difficile verò est iudicium hoc, & disceptabile. Nam quare non à causis interioribus,sed exterioribus morbus fiat? præsertí cùm sydera illa non mouentur? Respondeo: propter hoc, intus motum non esse,foris autem euenturum: idcirco quia sydera exuerint naturã suam, nitorem scilicet:ergo à causa extranea passa sunt. Nam ipsa è contrariis non sunt composita:ergo intus non possunt pati, sed extrinsecus. Ita Hippocrates,Si homo esset vnum,non pateretur,non doleret. quanquam ille laxè nimis.Nã vnũ posuit pro simplici. At verò nihil simplex præter Deum: vnum autẽ forma facit, ex multis.quare vbi vna forma,ibi vnũ.vnum igitur homo est, non simplex. Præterea ne illa quidẽ propositio vera est,Simplex si esset homo,non doleret, non pateretur. patitur enim elementum ab elemento: & tamen simplex est. Itaq; Galenus coactus fuit addere,non pati intus, id est, ab interna causa.

Mirum id quoque, procatarcticã statuit causam: & tamẽ curã mandat per corporis diminutionẽ:vult enim dissolui,Intelligit igitur à procatarctica interiores causas materiales motas esse.

Dixit,presso spiritu excerni τὸ παρελθόν.quod alibi quoq; declarauimus. Impellit enim extrorsum:quoniam reciprocatio ad introrsum prohibetur. Sic inflantur venæ, atque facies accẽditur.propterea dixit, πυκνοτάτῳ. Densefecit enim aliis aliàs partibus impellentibus, atq; inculcantibus.

Ἐπαγωγὴς: dic tu, extraneæ rei superuentu. Caluus productionem,quo sit consilio interpretatus, nescio. ὡς ἐλαχίστη, minima dissolutio. nos diximus, intra modum,ex Cicerone. valde enim pusillum est,quod citra modum fit.

Erat error in codice ἀφανές: scribe ἐμφανές. nota præterea mutatam locutionem, ἐξὲ κένωσιν: & postea dicit,ἀλλ' ἔξωθεν ἐπαγωγῆς.

APOTELESMA XXIII.

Cùm à Deo accipere quippiam somniamus, argumentum est probum bona valetudinis. Ostendit enim,quod in corpus sese induit, purum esse.

CÆSAR.

Nunc relictis syderibus altius cõtemplatur expediens animæ nostræ cum Deo cognationẽ:quã sibi ille similem fabricatus est. Superius à cæli motu,à situ,à qualitate disputauit: Nũc à forma,seu quasi forma, & motore, & fine: quæ in cælo primo vnum sunt. sese nanque intelligendo, mouet intelligentia prima cælum.Itaq; & sibi finis est,& cęlo quasi forma,& corpori motor. Intelligo enim formam æquiuocè,alio modo,quã in rebus,quæ corrũpuntur. Pro forma nanq; est,quia animat. Secũda autẽ intelligendo primam, sese intelligit: itaque illi quoq; mouetur motu ordinario ea de causa, non violento. Spontè enim sequitur motorem primũ propter ipsũ. Seipsam autẽ intelligẽdo, mouet motum suum, propter se. vtrunque autem propter primum. vtriusque enim ille dator est. Nam & iussit vt se sequeretur,& vt suo ipsa motu ageret. licet enim motus sint cõtrarii secundũ terminos: non sunt tamẽ contrarii secũdũ finẽ. Vnus enim omniũ finis,intelligere primũ mouẽs. Quare ab eius motu per vim rapi non possunt,per intellectionẽ sequi volũt. Quod si dicat quispiã, duas in cõtrarias metas simul ordinario motu moueri non posse: hoc quoq; fatemur nos. Nã suᵒ motus planetarum primaria est intẽtione illis: suũq; orbẽ in Subsolanum quisque mouet. At diurnus motus in eis non est ab ipsis,sed à primo mouente. Neq; propterea violentus aut est,aut dici debet. Volunt enim sic moueri:quia primum illum intelligũt,suum mouere:à cuius voluntate atq; intelligentia dependent intellectus inferiores. Igitur non possunt primam intelligere, & nolle ipsius motum. Idem enim est intelligens,& intellectum. Ergo diurnum motum in suis orbibus volunt, vt illius est: suum autem vt suum, exercent:ita & volunt moueri,quia mouentem intelligunt:& volunt mouere, quia mobile intelligunt. Dico moueri,non ipsos:sed orbẽ,cui assistunt: & quia carent materia, & contrariè, neque tædio capiuntur, neque præmuntur labore in motu illo. Postremò etiam si esset violentus:qui tamẽ non sit:vel sic non sequeretur, aliquãdo non defuturum. Primùm nanq; mouens potẽtiæ est infinitæ. Sed infinito nihil esse potest par, aut æquale:ergo nihil cõtrarium: ergo nihil tollens eius actionem. Quoniam autem Deus omnia est:intelligentiæ, vt Dei imitentur vniuersitatem, cælum mouent, vt quo modo possunt,omnia sint. Nam cælum etsi loco non mõuetur, tamen situs acquirit omnes: quos omnes quanquam habet secundum totũ, tamen alium atque alium secundũ quamlibet partem habere intendit. Hæc est prima perfectio, propter quam similiores sunt intelligẽtiæ Deo,quàm si quiescerent. Altera perfectio ab hac pendens est: Quoniam Deus omnium rerum efficiens est. Igitur hoc quoque imitatur intelligentia. Si enim non moueret, vnum tantum ageret. Quare factum est, vt earum quoq; motiones diuersæ essẽt inter se:idcirco scilicet, vt variis sitibus mistæ affectiones in hæc demittentur inferiora, per coitiones, oppositiones, quadraturas,&alia. Disputãt,Si primus motor infinitæ potestatis est, quare nõ moueat citra tempus? orbis enim finitus est. Præterea Aristoteles adducit medium pro causa diuersitatis motus:itaque in vacuo futurũ dicit motum & citra tẽpus. Quare motui primi orbis,cùm nullum sit medium,quod impediat,celerius quouis tempore mouere debuit: quod recentiores vocant,in instanti. Respondemus,motorẽ non vti sua potentia secũdum se, sed ad finem vniuersitatis. Neque enim quodcunque potest,id facit. Si enim hoc faceret,etiam sine motu ageret. Sed ille optimum quódque semper vult. Itaque quanquam est infinitæ potestatis,non tamen infinitum potest facere, extra se. Itaq; infinitum ex se gignit,infinitum in se spirat. Eius autem cõsilia in vmbra tantũ nobis nota sunt. Si enim planè essent nota:aut ille esset homo, aut nos Deus. Verùm nos mancipia sumus inuestigationis,vt simus liberi comites veritatis. Quod autem Auenroës negat verum esse,situs à cælo alios,atque alios quæri, quoniã sunt infiniti: malè fit. Principiò falsum est,in corpore finito æquali, circulariter moto, partes esse infinitas, & situs infinitos secundum quantitatẽ,nisi in potentia:Itaq; qui situs negabit, quoniã infiniti sunt in potentia, etiam motũ negabit,quoniam dimensiones longitudinis infinitæ sunt in potentia. At idem si dicat infinitos esse secundum durationem,vt aiunt,tunc ridiculus sit. Sic enim non appeterent suas versationes, quas ipse ponit infinitas. Præterea vt verum sit,quod falsò dicit:tantò magis est sententia nostra: propterea quòd intelligentiæ similis esse Deo vult,qui ipse est infinitus. Nam veritas quoq; infinita est, item bonitas, quippe Deus:& tamen is finis hominis est. Stultè enim dicat quis, intellectũ nostrũ aliud agere, quàm vt sit similis Deo:etiam fœneratores, etiã tyrãni suis flagitiis eam perfectionem sese putant adepturos. Quod autem addit idem Auenroës, cælorum perfectionem, esse motum,inquantũ motus est: quoniam sit idem hoc de omnibus animalibus.hoc non soluit quæstionem. Neq; enim demonstrat circularis motus rationem: Neque circulariter mouentur cæli,quia circulares sunt:sed facti fuêre circulares, vt circulariter mouerentur. Circularis autẽ motus quodammodò motus omnis est. Item habet alterã perfectionem, propterea quòd nõ mutat locũ: Quare necesse est,vt sit infinitus quodammodò:quippe cuius neque initium,neque finis assignari potest. Motus igitur,inquãtum motus, viuentis perfectio est:sed non vltima. Mouetur enim ex appetitu ad finem, aut vt euitet, aut vt consequatur. Igitur perfectus motus perfecti corporis perfectio. Hinc soluitur dubitatio. Nam si vnus est finis: quare non etiam vnus terminus? Qua igitur ratione primus in Fauonium mouet, alii in Subsolanum? Multæ sunt rationes hîc. Primùm nanq; mouens perfectissimum est:ita & suum mouere potest,& alienum. Deinde eius perfectio magis appareat,si secum agat etiam contraria: tum maior multò mutatio fit, ex aspectibus & coniũctionibus. Postremò si fuit optimum,vt Luna in duodetriginta circiter expleret ambitum dies: si eadem diurno motui motum suum superaddidisset: non optimum fuisset: Maximas enim & summis momentis fecisset mutationes. Quoniam igitur non est finis vltimus, sed Deus finis est: idcirco motus non dicuntur contrarii, nisi situ, non autem fi-

ni. Diuersorum enim situum vnus finis. Adeo autem perficiuntur, vt voluntas vna sit, electio nulla. Nihil enim Deo par aut simile quod ad eligendum possit ei comparari. Pura natura est in intimis, vt in igne: nõ potest enim nolle comburere. Pura voluntas in intellectibus cælestibus: quoniam simpliciter cognoscunt sine propositionum collectione. Media autem proportio quædam in intellectu humano: propterea quòd media quoque ipsius vis est. Nam vt informat, elementariam obtinet naturam: vt intelligit abstractorum. Quod autem Auenroës respondet ad hanc quæstionem, falsum est. Ait enim in cælo dextrum & sinistrum esse: quanquã hoc Aristoteles quoque veteribus ex Pythagoræis videtur admisisse: atque idcirco quòd primo motori dextrum, aliis sinistrum esse. Principiò si assignãt dextrum & sinistrum, ratione nostri frustra sunt. Nam qui trans æquinoctialem incolunt, quod est nobis dextrum, hoc sit illis sinistrum, atque è contrario. Sin id commenti sint ratione cæli ipsius: nihilo melius. Nam si idcirco attribuunt, quoniam animalia sunt cæli: ergo par in omnibus ratio motus: æqualiter enim animalia sunt: quare idem erit motus. sed non est. Præterea cælis aut est caput, aut non est: & si habent, aut vnum, aut duo. Nam Rotæ pisci caput atque oculi in modiolo sunt, hinc atque hinc vnus. Si igitur dextrum & sinistrũ est, videtur caput quoq; esse. ergo erit in polo. esto igitur in arctico. Nã eam partẽ stulti in cælo supremam interpretati sunt. ergo in antarctico erunt pedes. Hoc autem ridiculum est: Recta enim sphæra est iis, quibus neuter polus extat. Necesse est igitur antarcticũ quoque esse alterum caput: eiusdem nanque officii est. Ergo contrario modo trans æquinoctialem erit dextrum & sinistrum. quare euenient vt idem corpus continuum eodem motu dextrorsum & sinistrorsum moueatur. Quod si nullum caput habeant: ergo par ratio antarctici, & arctici ad æquinoctialem. Quare idem circulus meridianꝰ à polo ad polum esset dexter & sinister. Si enim pedes mei eodem iurè sint, quo caput, & cincturæ locus æquinoctialis sit, crus sinistrum dextrum fiet, ratione pedum tunc, sicut nunc brachium iure capitis. Quibus rationibus picturas illas veterum philosophorum facilè deleuimus. Nam etiã principium illius sententiæ falsum est. Neque enim animalis, inquantum animal est, propriũ est moueri per progressionem: Ostreæ enim & Patellæ quædam non mouentur: neque moueri dextrorsũ aut sinistrorsum, sed prorsum: directus enim motus nobilior: breuior enim, & simplicior. Itaque sensus penè omnes in anteriore corporis parte: motus autem datus est ad appetendum, quòd per sensus captus sit. Dextrorsum autem ac sinistrorsum motus secundarius est. Motus autem est via ad perfectionem.

Si videmur à Deo donari, qui ab antiquis δωτὴρ ἐάων dictus est: donũmque id purum sit: purum quoq; donũ illud erit, quod sese cælitꝰ insinuat.

APOTELESMA XXIIII.

Contrarium autem malum. insinuasse nanque sese in corpus morbum, ostendit. Quare superiore ratione hunc quoque curabimus.

CÆSAR.

Attende, cùm supra morbos imminere dicat, ac nondum esse constitutos: nunc profitetur iam inuasisse, atque occupasse. Fortè propterea quòd signũ ipsum præualidũ sit, quippe à Deo. Nota locutionem, χεὶ ἢ ἓν τὸν πρότερον: aut deest, χεῖ: aut, ἔμπον. neque verò sentias, quod aiunt, ita loqui concisè, quoniam Ionicè. nihil enim Ionibus fusius, laxiúsve, tum viuendi, tum loquendi licentia: vel vide Homerum, vel Herodoti memineris. sed quales viros? profectò facilè principes vtriúsque orationis: vtrumque verò etiã sapientẽ: Nam & Homerũ nũquam putassem summum & physicum, &, vt tum esse poterat, theologum: nisi tam stultè de diis locutus esset. Neque enim tam vecors, támque futilis esse potuit, vt ea sic intelligeret: sed ad syderũ potestates, atque officia Geniorum omnia voluit referri.

APOTELESMA XXV.

Mollis pluuia, clementi cælo, minuta roratione, sine hyberno impetu, bona est. Ex aëre nanque spiritum moderatum, puríumque subiisse demonstrat.

CÆSAR.

Nunc tenet institutum ab elementis cælo coniũctis: ac primùm ab aeris affectibus. Pluuia enim aquæ affectio est, motus scilicet: item aeris, sanè à situ partium. Est enim aer condensatus, nubes, cuius humidiores partes expressæ fluũt. Quasi dicas, pluuiam esse aquam ex aere densato. Coniungit aerem cum anima: quoniam vitales auras veteres dixêre: & aer, atque anima eodem nomine dicti sunt ἄνεμος, quippe vẽtus, aer est.

Dixit, mollem pluuiam, non rgidam, non distẽtis tractibus, sed flexis, & interruptis. excludit enim hîc hybernos imbres. Itaq; rectè interpretati sunt, μὴ σφόδρα βρέχεως, non multo humore. Nos, minutam rorationem.

Dixit, ἐν εὐδίῃ, cælo non turbulento. quoniam δὸς χῆμα καλὸν ἡ εὐδίη: quasi pacato Ioue. sic enim Latini appellant cæli clementiam, cùm sub diuo possumus agitare. Sic in XXVI. sectione propositarum quæstionum petit Aristoteles: Quare Fauonius est εὐδιεινὸς, ἢ ὑδρὸς: Quoniam, inquit, ἔχει κρᾶσιν ἀέρος, οὔτε θερμὸς, οὔτε ψυχρός. & subdit: ὅταν ἀποχειμάσῃ, εὐδία εἰώθασι γίνεσθαι. & iterum alibi de eodem: Quoniam inquit, εὔκρατος est, facit εὐδίαν Zephyrus. Quia scilicet est temperatus: & propterea quòd post tempestates spirat: & habet aeris temperaturam: idcirco ei conuenit cum aere, quem non turbet. Aer autem tepidus est. Teporem Zephyri dixit, sicut à Lucretio, Genitabilis aura Fauoni. Igitur & ventus flat: & is ventus εὐδιεινὸς est: & sine motu flatus non est. ergo non poterit transferri εὐδία, tranquillitas. Est enim tranquillum, quod omni vento vacat. At εὐδία, etiam currentibus nauigiis est: vt apud eundem in XXIII. sectione: ἐνίοτε πλοῖα θέοντα ἐν τῇ θαλάσσῃ εὐδίας καταπίνουσι. Itaque & à vento, vt supra diximus, fit εὐδία: & cum vento, vt hîc. Auram igitur mollem, ac suauem intelligimus, vacuam tempestate. Sic etiam in XXV. sectione ait: ἐν τῆς ὑψηλοῖς ὄμβρ οἶκων ὁ ἀὴρ ὀλιγοπόνει, ἢ μάλιστα τοῖς εὐδίαις. Sic etiam intelligit Pollux in primo, cùm declarat εὔδιον πλόον. Nempe enim tepore tantùm nauigamus, nec sine aura penitus. Itaque contrarium agnoscit Aristoteles τὸ εὔδιον τῷ χειμεριῷ: tum propter motum turbulentum, tum propter frigus: vt in XXVI. sectione, αἱ καθαραὶ δύσεις, εὐδιεινὸν σημεῖον: αἱ τεταραγμέναι χειμερινόν. In eadem quoque, τὸ προχειμάσαντος, opponitur τῷ εὐδίᾳ. Et alibi, ὁ ἀράχνης ἐργάζεται τοῖς εὐδίαις. & mox, εἰς τὸ ἐν τῷ χειμῶνι μὴ φαίνεσθαι. Xenophon in Venatorio, pro tepido: ὅταν μὴ ᾖ ψύχη, ἐν εὐδιεινοῖς, ὅταν δὲ χαύματα, ἐν παλεσιοῖς. Quare non rectè interpretatus est præceptor meus, magnꝰ ille vir Leonicenus, quem equidem honoris causa nomino, Hippocratis illud ex Aphorismo: χειμὼν νότος, εὐδιεινὸς: austrinam hyemem, serenam: credo cùm εὐδιεινὸν Fauonium legisset, & apud Plautum, eundem serenum, sic transtulit. Nam ille in Mercatore sic scripsit lepidissimo Trochaico: Hic Fauonius serenus est, hic Auster imbricus. At verò si pluuia hyems est: qui fiat vt sit serena? Hoc primus doctissimus Manardus monuit nos. Neque enim in diebus varietatem, sed constantiam malitiæ toto temporis tractu indicauit. Quam varietatem festiuo admodum verbo significauit Hippocrates in primo Letalium contagiorum, particula secunda: & apellauit μεταβολίαν. Sed illic νότον cùm dixisset, humiditatem ostendit à vento: id enim significat, νοτὸς: ideò addidit & teporem, εὔδιον: vnde εὐδιέλιος apud Homerum, apricum interpretantur: quod suauissimis verbis circunscripsit diuinus Poeta.

Et stabula à ventis hyberno opponere soli
Ad medium conuersa diem.

Itaque αἴδριον, τὸν ἐλάχιστον νότον dixit Aristoteles: τὸν δὲ μέγαν, νεφώδη. Neque verò malaciam significauit, vt putabat Manardus. nam etiam cum aura est εὔδιον. Malacia, vt omittam de mari tantùm, non de aere dictam: non solùm aura, sed omni motu vacat. Itaque in quadris Lunæ in mari malaciam intelligas, cùm nullo mouetur impulsu. Inde legas in historiis, malacia immotas naues, quæ omni essent vento destitutæ. Potest igitur εὔδιον, etiam subnubilum tempus esse, si vento valido, aut tempestate vacet. Nam in εὐδίῃ quoque pluit: at sine nube non pluit. Mirum igitur quo pacto & Leonicenus pluuiosam fecerit hyemem, ac serenam simul: & Caluus hîc in serenitate pluat. Signatè dixit, ὕδωρ πῶς τὸ ὕειν. Aquam enim pluuiam significat prima, & propria origine sua. Sic distinguit Aristoteles in iisdem libris quæstionum, πῶς θάλασσαν ἀπὸ τοῦ ὕδατος.

APOTELESMA. XXVI.

Huic diuersi imbres, largi scilicet, hyemales, ac procellosi, cum aqua sordida, ab insinuato spiritu morbum prætexunt. Modico cibatu ales omnes hos.

CÆSAR.

Opponit τῷ ὕδατι, τὸν ὄμβρον: sed παραφρασικῶς. Sic enim τὸ σφόδρα opponitur, τῷ μαλθακῷ: sic duo altera, τὸ χειμῶνα, τῷ μὴ δεινῶς: & τῷ ζάλῳ, τῷ μὴ σφόδρα βρέχεως.

APOTELESMA XXVII.

Indicia, quæ cælestia intentent nobis, his iudiciis obseruare, hisque consiliis victus inire oportet rationem. Tum Dii immortales secundis in rebus supplicationibus adeundi, Sol, Iupiter cælestis, Iupiter opulentus, Minerua, Hera, Mercurius, Apollo: in aduersis ad Deum iram auertendam, Tellus, Heroes incommodorum auerruncatores.

CÆSAR.

Epilogus à cælestibus, addito elogio pietatis. Dixit, indicia: Dixit, iudicium: Dixit, consilium: postremò, curam eámque duplicem: alteram ab humano auxilio, alteram ab ope Deorum immortalium. Duplex autem Deorum genus prisci commenti sunt: alterum propicium, vt Iouem: alterum noxium, vt Veiouem: ita Diræ canuntur à poetis, Sophocle, Seneca, Euripide: item Catullo in Argonauticis, à Marone ad Battarum, ab Elisa aduersus Aeneam, à Cambyse contra Persas, ab Horatio in Canidiam. Huiusmodi sunt Erinnyes, & Febris, & Robigo, & Sũmanus, & alia mõstra ridiculæ vetustatis. Boni autẽ Dii r, Dii Magni, Dii nouẽsiles, Dii penates, Dii semones, Tutanꝰ, Redicu

lus, & aliæ ineptiæ. Ægyptii quoq; plantas, Deos reges: duodecim signa, Deos consiliarios apellarũt. eius rei rationem alibi diximus. Mirum Apollini vota concipere: Aesculapio authori gentis suæ, nulla: item neque Nocti, neq; Somno, cùm vtrique diuini sint à priscis habiti honores. Soli autem supplicant: propterea quod occultarum rerum index est. Nam hoc quoque fuit in more positum, vt exorienti Soli somnia narrarent: id quod etiamnum docet nos Sophoclis Electra. Solem igitur ponit tum propter hoc, tum propter lumen: author enim sensus visionis est. Iouem, propter vitam. Mineruam, propter intellectionem: ex Iouis nanque vertice nata est. Mercurium, propter Genium. animarum enim ac geniorum, & comes est, & euocator: vnde πομπαῖος dictus est: tum idem Caduceo somnos dat, atque adimit: viarum index est. Apollinem, propter somniorũ coniecturas. Terram, quoniam Nox somniorũ mater, eius vmbra est: itaq; dicta est abdere arcana sinu suo: vnde somnia ab inferorum recessu duabus mittũtur portis. Heroas, quoniã virtute cælum meriti sunt, expiato orbe nostro monstris. Quare in pauoribus, & miraculis exclamabant, ἡεράκλεις: propterea quod esset ἀλεξίκακος. Tales & diui fratres Gemini, in tempestatibus. Idem quoque numen in vtranq; partem acceptum est additis cognominibus diuersis, γαιήοχος, & ἐνοσίχθων. Item Apollo à perdendo: cuius sagittæ essent pestiferæ. Idem παιήων, à medicando, quo cognomento ei acclamatum est, cùm à serpẽte Delphos liberasset. Heroum autem cultum sacrosanctum fuisse tum alibi legimus, tum apud Philostratum. Est & in Vrania Herodoti scriptum idem, in responsione Athenienſium ad Alexandrum Mardonii legatũ. Definit Lucianus Heroem, ex Deo & homine compositum. Athenæus eorum vim in vndecimo declarat, terribilem, sed magis noctu, quàm interdiu. Plutarchus in Romanis dicit Græcos in nouilunio Diis supplicasse primo loco: secundas preces concepisse Heroibus & Dæmonibus. Item primum poculum fuisse Deorum: secundum, Heroum. Plato μέγιστον δαίμονα τὸν τοῦ παντὸς κυβερνήτην appellauit. Plutarchus in Hellanicis ὑπεκκαύστρια, festum apud Solos vrbem recitat: quem diem solennem agerent in Mineruæ honorem auerruncationis ergo. Sed & Timæus Locrus in libro De natura, δαίμονας παλαμναίους, καὶ χθονίους, καὶ ἐπιπτάτας tradit. Expiationes autem illæ, postulationes ab antiquis vocabantur. Mirum, verò & id, cùm Terram posuit, Vestam præteriisse: sed eandem putauit fortasse. At Plotinus in libro secundo De quæstionibus animæ, Terræ animã, Vestam interpretatur.

Iouem, cælestem cognominat: quoniã aliis quoque numeris inuocabatur. Labradæus, in Caria, à securi, quo nomine id telum eorum vote appellabatur. Agoræus, cui vota concepit pro Socrate puero pater Sophroniscus. Fuit & Policus, ex Pausania, & Plutarcho qui etiam Βουλαῖον recenset in commentario εὐπρεσβυτέρου πολιτῶν. Fuit Pappæus apud Scythas, ex Herodoto. Fuit Trophonii delubrum: item Aenesii apud Strabonem in nono: Lycæi in octauo: item Liberatoris, Hospitalis, Limitaris, si Hercæũ velis dicere: Olympii, Tonantis, Feretrii: Imperatoris, in sexta actione in Verrem: vbi etiam ὑρεῖον Græca interpretatio est. μειλιχίου mentionem facit Thucydides in primo, cũ veneratione maximæ festiuitatis. Pausanias in Atticis agnoscit Aphesion, propter Aeaci sacrificium quoddam: idémque παυελλήνιον. declarat fusius causam in Corinthiacis, vt pluuiam eliceret. At nos aliam ob rationem, Elicium. In Corinthiacis item χθόνιον, quem nos Ditem, & Summanum: cui etiam sunt fulmina attributa. Alterum ὕψιστον: nos hunc optimum maximum: quæ erant propria Capitolini, vt ait M. Tullius. Capitolini facit mentionem Pausanias ibidem: sicut in Eliacis, Impubis: Quem nos Anxurem, quoniam esset ἄνευ ξυείδους. In eodem libro est, ὅρκιον. Est in Alexandra Lycophronis Iupiter φύξιον, cùm alibi multis locis, tùm apud Strabonem libro nono, Iupiter σωτὴρ, quem M. Tullius in actione quarta in Verrem negauit vnico Latino verbo exprimi posse: Verùm ille, vt suo loco diximus, seruiuit causæ. Nam cùm vellet Verrem premere criminis magnitudine, exclusit eã vocem à Latina potestate. Verùm in ea oratione, quæ inscripta est in L. Pisonem, seipsum, qui patriæ salutem dedisset, cõseruatorem appellauit: in tertio autem De finibus, salutarem, cuius in tutela sit salus. Seruatoris quoque Iouis templũ memorat Plinius in libro XXXIIII. Hippocrates etiam κτήσιον hìc vocat: Statorem Caluus pessimè est interpretatus. Nam Stator Iupiter à Romulo primùm est nuncupatus, qui exercitum stitisset à fuga: qui fortasse sit idem cum Ioue Statuo Plinii libro XVI. at verò κτῆσις possidere est. Ctesii Iouis meminit Plutarchus in libro De fœnore: Iupiter, inquit, Ctesius vix eorum opes seruet, qui sumunt fœnori. Ergo in τιμείοις eius simulachrum statuebant, vt ait Suidas. quæ vox, cùm & ærarium, et cellam significet promptuariã, ad penũ potius respexit Anticlides in libro vndecimo Athenæi, cùm Cadiscũ ornat lana candida, vt sit pro signo Ctesii Iouis. Nos opulentum ex Plauto interpretati sumus. Mineruam autem cognominem illi, Heram: Quoniam, Hera fortunæ nomen est, vt legimus apud Ennium. Post somnia prodigiali Ioui rem diuinã facit Plautus in Amphitruone.

Galenus his elementariis iudiciis, alia addit similia: ignem accensum videre, ob flauam bilem: fumum & caliginem, ob atram. pluuiam, ab humore frigido, liquido: glaciem ac pruinam, de pituita gelida.

APOTELESMA XXVIII.

Quæ verò in terris functiones exercentur, eæ quoque ad valetudinem conferunt dignoscendam: vt, acutè videre, audire: firmè ambulare: inoffensè, ac sine metu currere: terram quoque intueri solutam, benéque cultam: arbores germinantes, fructu grauidas, ac mites: annes temperato labentes cursu, aqua lympida, ac quanta satis sit: Item fontesque, puteique valetudinem bonam nuntiant somnianti: ciúsque corpus pro suo modo, & digerere, & admittere, & excernere.

CÆSAR.

Relicto cælo demittit sese ad corporis officia, quæ hîc agnoscit duplicia: altera, quæ corpori debeantur, vt currere: altera quæ ciuilibus negotiis propter corp°, vt agricultura: quæ vtraque vnico simul apotelesmate executi sumus: quoniã ipse vtrisque item simul apotelesmate sequenti contraria ponit.

Quæ hîc dicit clara sunt. Memor quoque præceptoris Galenus fuit, cùm dicit, læuitatẽ corporis inoffenso cursu significari.

Dixit, μεσημαίνει τὴν τάδε πρὸς ὑγείαν: non quòd futuram significet sanitatem: sed quia signa præcedunt sanitatem: non quidem natura, non tempore, sed medici intellectione: cui si narres somnium, indicet sanitatem, quam somniis præscriptis agnoscat.

Dixit, λείαν πῶν γῶν, solutam scilicet, nec pertinacibus glebis inæqualem: sic poeta, Resolutáq; terga. Indicia trium rerum ponit in sanitate, πεπτόδοις, μεταγωγαῖς, ἀποκρίσεις. Per πεπτόδον, intelligit αὐάδωσιν, id est, digestionem, quæ per motũ iudicata est. Per μεταγωγὰς, transmutationem, & vnionẽ, quæ significata est per fruct° mites: Per ἀποκρίσεις, superflua excernẽtis animæ vim: ea declaratur, vbi dicit, puram aquam, & quanta debetur. Omisit coctionem: quæ tamen scitissimè ab arborum fructibus potuit indicari. Diuersa nanque πέψις, & αὐάδωσις: vtranque tamen recentiores digestionem vocant minus apté. Intelligit autem πῶν πεπτόδον, αὐάδωσιν: quoniam succ° ille circũfertur, vt mutetur in corpus: digestionem interpretati sumus nos, secuti Ciceronem, qui Attico scribit sic: vt mea mãdata digeras, id est, suo quóque tempore, ac loco exequare. Itaque apud Celsum intelligas, quod Galenus διαφορεῖν, & digestiuum διαφορητικόν. sic enim scripsit in libro quinto, capite duodeuicesimo: Sed quædam digerunt materiam, quædam extrahũt. Nam resolutio fit per digestionem. Oportet enim, quod coit, aut coierit antequã resoluatur, dispertiri. Hoc paulò pòst dicit ipse, Resoluenda astricta, mollienda dura, digerenda quæ coeunt. Sic enim componit contraria inter se, resoluere compacta, emollire dura, dispertiri vnita. Prius enim dissoluuntur, quàm resoluantur. In malagmate Polyarchi hoc, & haud multò pòst in Medi malagmate. Eodem sensu, in libro secundo, capite quartodecimo, Aut molliendum, quod induruit: aut digerendum in eo, quod copia nocet: aut alendum id, quod tenue & infirmum est. Non est dubium quin intelligat διαφορητέον. Sic enim scribit paulò pòst, Vsque ad cutem digestione quadam relaxatum penetrat. Fricatione enim laxatur cutis, cum fieri vis digestionem. Sic alio verbo simillimo eũdem vsum veteres expressêre, vt Terentius, Differor doloribus. Et Vergilius, Nubila differt. Sic idẽ verbum alia compositione in Menæhmis posuit Plautus, Vestes degerit: id est, defert: quod ineptissimè & interpretati sunt, & confudêre cũ verbo, dego. Idem Celsus in tertio, capite quarto dicit, Vbi corpora plus resoluũtur, refici frequentius debere: quare, ait, celerius cibus dandus est in morbo, qui plus virium aufert: itémque in eo cœlo, quod magis digerit: id est, resoluit. Ita Plinius in libro vicesimo sexto, capite vndecimo, Cruditates, quæ nauseam faciunt, digerit betonica: id est, discutit. Nam idem aliud intelligit, cùm dicit, concoctionem adiuuari: aliud, cùm dicit, cruditatem tolli: vt in libro vicesimo septimo de absynthio: Concoctiones adiuuat, cruditates detrahit. Cruditas nanque sequitur cõcoctionis defectionem. At barbari nostri his ex locis videntur accepisse concoctionis significatum: cùm putarent super stomacho tantùm intelligi. quod etiam ex Seneca in prologo declamationum elicere potuêre: cuius verba sunt hæc: Nec patiebatur alimẽta per stomachum, per somnum, quietémque æqualiter digeri. Cùm idem Celsus in primo multis locis, in tertio non paucis, in aliis libris aliquot, concoctionem dicat, non digestionem.

Hìc fontium commẽdat visionem. At infra apotelesmate tricesimo secundo vesicæ vitiosæ argumentum esse prodidit.

APOTELESMA XXIX.

Contrà, diuersa ab iis, noxam prædicunt. Si visus, si auditus impediri videatur, caput ægrum indicant. Matutinæ huic deambulationes instituendæ, præsertim à prandio: obseruata priori viuendi ratione. Quod si crura malè habeant, vomitu materia detrahenda erit, & pristinis victitandi legibus addẽda luctandi exercitatio. At ex terræ squa-

lidæ visione, impuram esse carnem coniectamus. Itaque post exercitationes, multum est deambulandum.

CÆSAR.

Quemadmodum supra, duo erant capita ad sanitatem ex officiis rectis corporis, & ciuilibus: ita hic duo contraria. Et corporis morbos in duas diducit partes: in superiora, per caput: in inferiora, per pedes. Vtrãque curã per diuersiones fieri iubet. Nam capitis morbos, per deambulationem: pedum vitia, per vomitum. Ita Galenus scripsit, quendam somniasse lapideum sibi factum crus: atque ita ei crus fuisse solutum eo morbo, quem Græci vocant paralysin.

Altera pars secundæ respondet parti. Supra dixerat, terram leuem, solutam, bene cultam: nũc squalidam, incultam, asperam. Signum hoc attribuit carnis impuritati. Quoniã vti dicebamus, caro, sãguis coctus est. Fortasse verò quispiam festiuus ossiũ potius accipiat indicationem. Sicciora enim sunt, & plus habent terræ. Terræ quoque officium præstare videntur: stabilitatem scilicet, ac firmitatem. Itaque in Timæo identidẽ igni cocta, & aqua extincta sunt. Possit respondere, ossium principium à semine esse, quorum materia sit: semen autem aeris referre naturam. Verùm sic nunc esto, vt voluit.

Caluus existimauit, τὸ τραχέλω non esse terræ epitheton: sed arteriam, quàm tracheam vocãt. Ita malè confudit: capita nanque visus impedimenta ponit, deinde tracheæ: tum crurum. Rebatur enim omnia à corpore. At enimuerò quare ab arteriæ læsione carnis læsæ sit indicium? Ex carne non constat tota: carnis neque causa, neque effectio est: non ipsi caro seruit, nõ ipsa carni. Sed suæ gẽtis more locutus est Hippocrates, quemadmodũ & Herodotus in Melpomene: ἔστι ἡ κατα[illegible]χθεῖσα πᾶσα πεδιὰς πελέκεα, καὶ βαθύζωος τόσῃ ἐπὸ τούτου λιθώδης τ' ὄτι, ἢ τραχέιη.

Neque rectè dixit idem, ἀνπαυσέον, cõuellito: sed auellito, aut reuellito.

APOTELESMA XXX.

Steriles arbores humani seminis declarãt corruptionem. Si frondes cadere videantur, ab humidis ac frigidis impendet temperamentum: sin frondosæ sint & fructu careant, à calidis, & siccis. Ibi igitur victus siccus, calidusque esto: hic frigidus & humidus.

CÆSAR.

Supra à terra, nunc à terræ officiis triplicem docet sterilitatem. Genericam, foliorum scilicet, ac fructuum: cùm dixit, ἀκαρπία, τὰ ἄφορα δὲ ἢν φθινῶσι, ostendit. Alteram frondium tantùm: cùm dicebat, φυλλορροοῦντα. Tertiam fructuũ tãtùm. Nam nisi, ἀκαρπία, genus sit vtrunque complectens, inepte iteratò poneretur, ἄκαρπα. Aut igitur non potest euitare: aut verbi ambiguitate vsus est, quam æquiuocationem vocant: vt ἄκαρπον etiam de frondibus intelligatur. Vtrũque autem comparat semini somniantis: nimirum defectũ generationis. Quare colligemus hîc quod vulgò videmus: quódque in libris septem De semine genitali diximus, Virtutem informatricem etiam perfectis in corporibus esse. Nam & ramos nouos fundunt, & fructus annuos: quædam etiam biferæ sunt. Theophrastus autem cum dubitabat, partésne plantarũ dici mererentur frondes, quæ deciduæ essent, abessẽntque, & adessent, sine totius interitu: rectè fecisset, si sic nos monuisset.

Duplicem verò assignat causam: Frondium defectũ ab humidis & frigidis Hyemis enim appulsu cadunt folia. Fructus defectum à calidis, & siccis: Quoniam deficiente humore, calor fructus conficit. itaque syderantur. Verùm, vt certius dicatur, à calido & humido tàm frondes, quàm fructꝰ proueniũt: à calido & sicco exuguntur: à frigido & humido putrent ac decidunt, Ergo notabis foliorum casum, non defectum. Cadunt autem à frigore omnino repercutiente subeuntem succum, quominus exeat in extrema planta per petiolum, aut propiores venas. Hoc autem lõgè melius à Theophrasto in primo De causis, enarratur, fæcunditatem neque à frigido fieri, neque à calido: sed à calore temperato: Stultè enim arbitratos esse priscos, naturam calidissima animantium genera in locum frigidissimum, quem colerent transtulisse: puta pisces, quò duo extrema temperatione quadam coirent in statum vitæ. Empedoclis fuit opinio hæc. Sed multæ plãtæ calidæ in aquis proueniunt: multæ frigidæ in arida. Illius generis persicaria, malobathrũ, acorus, siue ille noster sit, siue quem aromaticũ calamum vocant falsõ. Huius ordinis hyoscyamus, mandragora. Quare non ab elemẽtis accipiendæ sunt rationes, sed à formis. Formarũ enim omnia plena sunt: ac de potentia materiæ eliciuntur à tribus rebus inter se ordinatis: ab agente propinquo, quæ est virtus informatrix: ab agente primo, qui est primus motor: ab agẽte medio coniungente vim rei purissimæ, scilicet motoris primi, cum vi rei minus puræ, scilicet animæ informatiuæ. Itaque Auenrois quoque pessimè causam proposuit, propter quam calida in locis frigidis gignerentur. In quinto nanque libro Emendatæ medicinæ assignat, aut densitatem corticis, aut quia sub terra submersæ sunt, quare ab aere frigido aut calido non attinguntur. Verùm & falsæ sunt, & à philosophia alienæ. quasi verò tamarindi qui oriuntur in terra Arabia, aut sub terra sint conditi, aut cortice contegantur. Tum autem calamus iste noster aromaticus iuxta fluuium Tanaïm nascitur palustribus tractibus, & propter Vollam flumen, calida planta sanè, radice rara, ac

ac soluta, & quæ, cùm extrahitur, humoris plena sit, Air vocant incolæ, & nomine alio, Bostuorce. Quod si aqua ipsa, quæ elementari natura gelida est, in terris calidis, atque etiam exustis reperitur: quare ibi non erunt res, quæ ex ea ita componantur, vt eius quam plurimùm possideant? Nam si omnia vbique quatuor elementis constant: quid prohibet certam formã cognatam sibi elemẽti proportionem, & quærere, & accipere? Aut qua ratione locis dulcibus lupinus nascitur amarus: beta uerò salsa, lapathum acidum? Neque enim calida in calidis nascuntur locis, quoniam calida loca sunt: sed quia plantæ illius forma ibi est. Quod si calida planta propter loci calorem, calido in loco nasceretur: omnia calida omnibus in calidis euenirent. Itaque, ne illud quidem, quod aiũt philosophi, verum est, Omne simile à simili cõseruari loco. Intelligo similitudinem elementarem. Nam similitudinem proportionis necessariam asseueramus loci & locati. In qualitatitatibus autem manifestis aliter inuenias. Inter pisces inuenias quòd sit venenum calidissimum: vrtica vrit, scolopendra, alia multa, pastinacæ vulnus viperinũ morsum æquat. Præterea iidem pisces aliqui, vt mugil, solea, & in mari degunt, & in fluuiis: illius aqua salsa, calida, sicca: horum contraria. Quæro exemplo ridiculo rem bene seriam: Asinus cuiusnam sit tẽperaturæ? Nam si calidæ, quare non resistit frigoribus? si frigidæ, quare frigidis locis moritur? Neque enim in Scythia viuere animal illud aiunt, propter hyemes. Non extat caloris aut frigoris causa, cur noxiis bestiis Creta careat: lupum in Britannia nullum esse, importatum interire. De lepore, mustella, atque aliis satis multa Ælianus, Plinius, Aristoteles. Quare qui omnia per elementorũ qualitates metiuntur, elementares sunt ipsi sanè. Maxima tamen rerum pars cum locis, ac temporibus ineunt societatẽ. Sunt enim fœdera quædam, ac sequestræ pignorum coniunctionũmq; naturę, aut ipsæ formæ, aut à formis.

APOTELESMA XXXI.

Fluminũ mutata facies sanguinis motum repræsentat. Plus iustò tumidi si fluant, excessum: si minores, defectum agnoscas. Largiore victu his opus est, illis parciore. Turbulenti perturbationem signant. Restituetur puritas cursu, ac deambulatione postquàm spiritus, contentione motus fuerint excitati.

CÆSAR.

A terræ partibus nunc: est enim gremium liquoris terra. Sicut igitur ex decocto sanguine caro fit, sic à terra carnis accipit indicationem, ab aqua sanguinis: propterea quòd eadem ratione crassescens aqua, limus fit. Non malè respondet hoc Pindari sententiæ, ac Thaletis iudicio, qui aquam rerum omnium putarint elementum. Puto illi eam fuisse pro materia prima. Si quidem vti densescit aqua, terra fit: rarescens, euadit aer: quemadmodũ in nubibus patet. De igni poterat dubitari: idcircò quia asymbola inter se sunt: vt nõ pessimè potuerit ab illo pro forma poni. Igni nanque & crassescit aqua in salem, & soluitur in exhalationẽ. Verùm haud ita est. Etenim sal neque aqua est, neque ex aqua tanquam totum ex toto: sed tanquam ex toto pars in potẽtia: quæ per ignem, aut solem ab aliis partibus in aqua separetur.

Fluminum mutationem ponit variam: ab eorum motu, motum sanguinis: à motus ratione, tantundem: excessum, ex redundantia: defectum è subsidentibus: postremò à turbulentia, imparitatem.

Αἵματος πρόσοδον, motum: vt in febribus accessionem: circuitum Caluus cùm dicit, fideliter, nõ plenè explicat. Neque enim circunducitur sãguis, vt πρόσοδον impleat significationem. Nam in febribus idcirco dicitur πρόσοδος, quia reuertitur paroxysmus: quasi circunductus ob diem purum, & vacuum à morbo.

Ἀναπνεύμαα, intelligit humores.

μὴ κατὰ ῥοῦν, Caluus optimè, si flumina non solito fluant modo. At Hippocrates, γινόμενοι, dixit: nõ ῥέοντες: id est, egressi à communi instituto: sic non solùm motum comprehẽdit, sed etiam faciem turbulentam.

APOTELESMA XXXII.

Fontium, puteorúmque visiones, Flatibus affectam vesicam declarant. Quamobrem vrina cienda erit, vt educantur.

CÆSAR.

Apotelesmate duodetricesimo commonefecimus nos, quemadmodum Hippocrates hoc sub loco super fontium somniis aduersatur: quare hoc vt tollamus, intelligã hîc impuros fontes. Attribuit iudicia, & rei, & loci. Flatuũ scilicet, & vesicæ. Ac loci quidẽ indiciũ sumpsisse videtur: propterea quòd fontium, puteorúmque ortus ima in terra sunt: sicut vesicæ in corpore, vnde liquores educantur. Quam ob causam Flatum potius, quàm humorem ascripserit, mihi nondum constat. Scilicet putarunt priscorum quidam, fontes, venásque alias subter terram densatis flatibus in aquam coire, tum fluere. At sanè perridiculum sit, Nilum totum in quem nulli amnes demittunt sese, tam longinquo, tam pleno ferri cursu, cuius parens sit flatus nesciõ quis. Istrum quoque qui viderit, eúmque è vento fieri putarit, eius profectò sententia è vento sit. Multas alias causas æquè

frustra commenti sunt, nihilo verò meliores. Vna tantùm vera est, Aquam terrámque simul vno globo inter se subeuntes, circa idem pactũ esse, sed non æqualiter. Aquam enim terra operiret. Neque verò detectã Dei iussu dices ita, vt illius iussus huius naturæ aduersetur. Neque enim aliud Natura est, quàm iussus Dei, quo rerum series, effectiones, cõiunctiones, separationes, mutationes, ritè, atque ordine perficiũtur. Naturam igitur illam illi induit Deus suspensionis ita, vt eius esset propria. Contra hanc sententiam litigant sic: Nullum, inquiũt, violentum, perpetuum. Igitur si terra non æquè à suo pũcto medio distat, aliqua molis suæ parte ruat aliquando. Principiò ex sacris libris nostris non solùm concedimus, sed etiam profitemur. Deinde ne philosophi prodi sese vociferentur, naturalia adducemus argumenta. Primùm dicimus verũ esse, & ruere multis locis, atque à mari absorberi terræ partem sæpe. Præterea cùm terræ ambitus æqualis non sit, quippe tot montibus extantibus ipse sibi dissimilis est: igitur extra naturam suam sunt partes illæ. Neque enim locũ suum adeptæ sunt: quare ruent itẽ. Ad hæc, pars summa terræ in suo loco non est: itaque violenter ibi tenetur. Ergo quid inquient? aliquando centrum petituram? Nugæ. Satis enim est habere proportionem loci. Quod si rupes extant, & tamen incommodant habitationi, multò commodius consultũ est ab eadem natura, vt cauernæ in sinu terræ sint, in quas aqua recepta relinquat locum habitationi. A qua enim imum punctum medium non petit, sed sedem suam, vltimæ illi proximã scilicet. Neque enim si terra aboleretur, relicta aqua, cõpleretur ab aqua terræ locus, nisi propter vacuum: quippe aqua non est maximè grauis. Motus autem, & τὸ ποῦ elementorum habẽt inter se proportionem. Nam vt aër supra sua loca non ascendit: sic infrà sua non descendit aqua. Neque tamen propterea dicitur aquæ motus esse tanquam corporis misti ex graui, & leui: sed suus simplex simplicis: leuis, si terræ cõparetur: grauis, si aëri. Igitur extra suum locum aliqua pars cùm sit, eò tendit, trudítque alias partes, quæ ibi sunt: eæ obiectu imi terræ globi repercussæ resiliunt in superficiem terræ. A qua igitur quæ ad littora alluit, non operit ea, quoniam ascenderet: sed petit caua terræ, vt suo loco potiatur: eo pondere, suas ipsa partes, quæ imę sunt, ita premit, vt per inania terræ ad superficiem faciat resilire. Nam quanquam in Mechanicis ostendimus, non salire altius aquã per fistulas, quàm ea sit pars, vnde ducatur: tamen si organis prematur puteus, eliciamus multò altius, quàm ipsa organa sint. Ita tota maris moles organi vicem obtinet, præut ipsi fluuii fontésque sunt. Proportio igitur ponderis cõpensat defectum altitudinis: qua ratione fit, vt compressa emicet. Atque hoc quidem quanquam violentum videtur esse, à principio tamẽ naturali pẽdet, propterea quòd & mare sedem suam petit, vrgétque ipsum sese: & aqua natura leuior est, quàm terra. Quid igitur mirum, si quemadmodum aër ab aquæ superficie remeat sursũ versus: ita aqua à solido terræ globo repulsa resilit? supérque fertur eas, in terræ partes, quas, nisi extarent inæqualiter ab orbe æquali, o periret?

APOTELESMA XXXIII.

Mare fluctuabundum ventris morbos nuntiat: Qui leuibus, mollibúsque deiectionibus sunt tollendi.

CÆSAR.

Mare fluminum parens est: venter, eorum quæ in vesicam dilabuntur: crassum retinens, vt expellat: quod liquidum est, eò per venas deferri patitur. Itaque Hippocrates in libro De humoribus, ventris officium terræ muneri comparat: Huius, arboribus alendis: illius, animalibus.

APOTELESMA XXXIIII.

Terra, aut domicilium si moueri videantur: homini sano languorem portẽdunt, ægrotanti sanitatẽ atque præsentis status mutationem. Sanus suæ consulet valetudini: si victum alium præscribat sibi, primùm vomat: deinde pauxillo cibo reficiat se. Totum nanque corpus principiorum mouetur ratione: Aeger autem nihil mutabit. mutatur enim ipse tunc ex eo, in quo est.

CÆSAR.

A mari quæ portenderẽtur, ostendit: nunc ab effectione maris. Terræ nanque motus non solùm à flatibus, verumetiam fit à fluctibus subterraneis: vnde nomen Neptuno ἐνοσιγαίου. Cõstat id etiam historia, duabus Achaïæ vrbibus Elice & Buri absorptis mari post terræmotum. Terra igitur natura stabilis si moueri videatur: nimirum præsentis status ostendit mutationẽ. Ergo sanis morbum: ægrotantibus sanitatem. Terra autem mater & principium vitæ. Facetè autem dixit domicilium. Sic etiã appellat corpus nostrum Plato, & eius imitator Cicero in Catone.

Ἀπὸ τῶν ἀρχούσης. à principiis: id est, ab iis qui intus sunt, humoribus. Quare eos mutari oportet. Caluus falsò putauit, τὸ κενέσπω, purgari, & euacuari corpus. Nam Hippocrates reddidit rationẽ, propter quam vomitu debeant euacuari & victu attenuari. Quia, inquit, pro eorum modo, quæ intra corpus sunt, variatur corpus. Et addidit ἅπαν, vt ostenderet maximam vim principiorum: ex quorum pusillis momentis maximas fieri mutationes rectè dixit Aristoteles tũ alibi, tum in libris de generatione animalium.

APO-

APOTELESMA XXXV.

Maris, aliarúm ve aquarum diluuio terra obruta, morbum significat. Multus quippe humor in corpore inest. Vomitu, atque inedia, tum laboribus, præterea siccis curãdi sunt cibis. Post hæc per gradus paulatim pristina victus repetenda lex est.

CÆSAR.

Nempe redundat, si obruit, atque etiam impedit officia naturalia. Genº morbi obiicit primùm, deinde speciem. Ab aquæ conditione intelligas ὑγρασίαν: vt nõ solùm humorem accipiamus in genere: cuius appellatione etiam bilis calida, & sicca continetur: verùm id quoque, quod & actu, & potestate humidum sit.

Mirum, vomitum toties indicere: nulla temporũ, ætatum, habitudinum, consuetudinis, regionis habita ratione. Nam in quarta sectione sententiarum, æstate curat superiora, hyeme inferna: propterea quòd bilis summa petit. At Celsus in primo, vomitũ hyeme procurat magis, quàm æstate: quoniam plus pituitæ in stomacho tũc contineatur. Ergo sanè sententiæ hæ contrariæ videantur. sed siue Theodorus, siue ille sit Laurentianus, non πυὶ κάτω, ἢ πυὶ ἄνω, sed κᾷ: non superiora, sed per superna educere. Quare longè clarius patent earum sensus contrarii. Videtur autem Celsus, atque, is, vnde sumpsit, Asclepiades rationẽ loci habuisse, cùm per hyemem vomitum instituerit: idcirco quia locus ille per id tempus pituita grauatus est. Hippocrates autem ad humoris naturam potius respexisse. Bile nanque redundãte in ventriculo, vomitum indicit, cuius motu bilis motum facilius assequamur: Nempe ascẽdit promptius bilis: quanquã rarius, quàm pituita, vt ait Galenus in secundo De temperamentis.

Dubitarit aliquis, si ventriculus hyeme calidissimus, vt rectè ex aphorismo colligimus: quonã pacto fiat idem humidissimus eodem tempore? Consumit nanque humorem calor. Sic respondendum esse videtur: Vbi natura læsa non est, neque circumuentã causis alienis, ipsam sibi etiam variantem per tempora similem esse. Nam si calor multus sit, multum quoque caloris pabulum, sedémque esse, necesse est: si paruus, paruum. Dico per tempora, non per ætates. Quoniam humidum semper resoluitur. Sed humidũ naturale per hyemem, non est minus humido naturali æstiuo, nisi quantò minus ætatis processu factum est. Hoc autem non quærimus hîc, sed tempora inter se comparamus. Euenit autem propter temporis hyberni naturã, vt præter humidum naturale, humor alius grassetur in corpore pituitosus: quem de propinquiore loco voluit educere Asclepiades. At Hippocrates non solùm loci, sed etiam humoris motum contemplatus: qui humor æstate dominaretur, eũ suo motu expelli facilius, quàm alieno existimauit. Dominatur autẽ bilis, vt in libro De hominis natura dixit ipse: & eadẽ sursum mouetur. sursum igitur exigenda erit. Vbi eiusdem humoris per vomitum æquè perscribit euacuationẽ: Quemadmodum in septimo Letalium contagiorum, & in libro De humoribus.

APOTELESMA XXXVI.

Neque verò illud bono est, atram terram, atque exustã cernere: vehementis enim, letalísque mali appulsu tentatum iri: quippe ariditas in carne multa indicatur. Quies igitur appetẽda. Siccis, calidis, acribus, & iis, quæ vrinam mouent, abstinendum: ptisanæ decocto contentus sit: mollibus cibis, ac læuibus, sed paucis: albo vino: aquoso multo: lauacris multis, calidis: sed in quæ nunquam ieiunus ingrediatur. Molli cubet strato: animi tranquillitate conquiescat. Frigus, solémque vitato. Telluri, ac Mercurio, Heroibúsque supplicato.

CÆSAR.

Terram descripsit à mari affectam: nunc ab igni, caloris vi. In cura adhibet omnia humectantia. Somni quoque meminit: sed attẽde, ne ieiunus dormiat, néue ieiunus balneũ ingrediatur. Somno intro reuocatus calor consumit membra, si desit cibus quicum agat. Itaque sudamus potius dormientes, quàm vigilantes. Balneum educit succum, eúmque optimum, si quid à cibo non sit appositum. Eadem ratione tum frigus, tum Solem vitat: propterea quòd deficcant.

Intelligit vinum aquosum suapte natura, non arte dilutum: quod si desit, supplebit ars. Illud ausus est Galenus autumare calidum non esse: vinum igitur non erit. Et nobis sanè genus hoc ignotum est. Humectat sanè plus mero, dilutũ: tribus de causis. A quam enim habet sociam illius effectionis: item altius penetrat: postremò difficilius soluitur à calore naturali: qua ex mora perfungitur munere suo. Nam partes meri subtiliores citius penetrant: sed citius resoluuntur. At dilutæ, & plures sunt, & difficilius vincuntur. Quare ebrii fiunt magis, qui multũ dilutũ, quàm qui merum biberint paucius.

Cùm vitat ea, quæ vrinam moueant: intelligas calida & sicca: quæque eliquant corpus: nullis vestigiis relictis humectationis. Nã sibi ipse cõtradiceret. Vino enim albo aquoso nihil præsentius ad vrinas ciendas.

Τῆς ὀ πλοσύνης κατέφθω τῷ χυλῷ, ptisanæ decocto. Consueuit Caluus toto opere hoc, aliísque libris Hippocratis, pluribus luculentis verbis i-

dem interpretari: qui hîc quoque dixit, ptisanæque succo, & iure decocto. Verùm ex hordeo & aqua ptisana cùm fiat, multos habet gradus, alios ad potandum, alios ob vescendũ, quosdam medios, omnes secũdum decoctionis promotionem. Nam leuissimè coquitur ad potum, ne acescat. Ea propinatur tertianariis post sirupum acetosum. Diutius coquitur ad refrigerandum & abstergendum in phlegmone pectoris. Hi sunt potus simplices. Vbi verò coquitur adeò, vt puls ex eo fiat, cibi summam conficit. Remissa ea crassities in mediocrem liquorem, vtriusque obtinet facultatem. Sorbendo nanque, pro potu accipitur: alendo, pro cibo. Percolatur autem hæc interdum, neque amplius coquitur. Is dicitur esse succus, quem cremorem Latini vocant: atque hîc, & alibi χυλὸν Hippocrates. Interdũ autem coquitur: quare additur κατέφθω. Arabes hæc omnia agnouerunt his nominibus, Aqua hordei, Kist hordei, Sauich hordei: omnes Hippocratẽ secuti eo in libro quem Cnidias sentẽtias inscripsit. Quo magis miror, quid in mentem venerit homini doctissimo Ioanni Manardo, qui non solùm artem ptisanæ conficiendæ sustulit: sed etiam damnarit vsum: ausus idem facinus libero indigno homine, cùm negauit nos probo vesci hordeo. Spero equidem aliquando futurum, vt isti delicati veris lactucis carere dicant nos. At herculè laudes eius Galenus paucis verbis, vel plusquàm diuinas dixit, in octauo De medicandi ratione. Quid enim potuit præstantius esse, quàm id quod refrigeraret, humectaret, sitim non solùm tolleret, sed etiã prohiberet, facilè coqueretur, probè aleret, nihil relinqueret noxiorum excrementorum. Ptisanæ autem nomen deductum etiã ad alias materias, ex Horatio scimus: qui ex oriza ptisanarium dixit, voce diminutiua: quanquam ex aliis frugibus certa sibi nomina comparauit: vt apud Græcos, κάνδαρον, quẽ corrupto nomine Candarusium vocant Arabes: Latini, Alicam. ea ex Zea fiebat. ex frumẽto quoque factã ait Plinius, tàm apud Latinos, quàm apud Græcos, trãslato nomine ab ipsa fruge, ex qua fiebat, in rem ipsam factam. Siquidem chondros tritici genus, ex quo, quæ fieret ptisana, chondros quoque dicta fuit. Eodẽ modo Zea, quam nunc speltam vulgus vocat, alica quoque dicta est: ex qua, quæ fieret ptisana, nihilominus alica nominaretur. Sed & ars finxit nomina: nam ex viridi hordeo polenta dicebatur: ptisana ex integro percocto, atque excreto: omelysis ex molito. Polẽtam quoque ex tosto facit Galenus.

APOTELESMA XXXVII.

In lacu, mari ve, aut fluuio, si quis se somniet vrinare, malum est. Exuberantia nanque humoris indicatur. Tenuis victus, atque laboribus exercitatus huic vtilis est. Quod si hoc accidat febrienti, bonum est: extinguitur enim ab humore calor.

CÆSAR.

Hoc quoque Galenus in Crisibus: ob sudorem præcedere somnia hæc. Id quod Auicẽna trãstulit in sectionẽ secundam quarti. Idem Galenus scriptum reliquit, Pugilem, qui in sanguinis solio sedere sese somniauerat, sanguinis redundantia laborasse. Alium distentum semine genitali veneris nocturnis affectum ludibriis. Ita in quarto Letalium contagiorum, Nicippus febricitans venerem per somnia excitabat, atque ita conualuit.

Dixit αὐτονομαστικῶς, τῇ διαίτῃ, pro tenui victu. Ductum enim est ab eo, quòd spiritus tantùm alimento quis contentus est. αἴειν nanque spirare est: διαίτη, perspiratio: sicut αἰὼν, æuũ, tractus scilicet temporis, quem spirando transmittimus: & ἀὴρ, quem spiraremus. Talis victus ratio pertenuis in principio acutissimorum morborum obseruatur, quo tempore nihil damus.

APOTELESMA XXXVIII.

Eorum, quæ ad sese, suámque naturam pertinent, si cui quid in somnis videatur esse eiusmodi, vti neque maius, neque minus sit: bonæ valetudinis demonstratio est.

CÆSAR.

Hæc est alia pars commentarii à priuata naturà sumpta somniantis: quæ plenissima est apud Hippocratem: nos quàm purissimè vt transferemus, curauimus, secuti phrasim Thucydidis, Demosthenis, Plauti, Ciceronis, si cui ea nota sit. Habet autem rationem, à quantitate, sicuti superiora: à motibus, à qualitatibus, à situ. Intellexit somniantem sui quippiam videre, non alieni, vt ei portenderetur pro re propria.

APOTELESMA XXXIX.

Candida veste, pulchrísque indutus calceamentis benè sentire debeat de sua sanitate.

CÆSAR.

Hippocrates, qui bonus esset philosophus, per aliud etiamnum prædicamẽtum ducit nos, quod appellãt habere. Colligitur autem hinc proportio vestis ad illustrẽ, de qua suprà diximus, syderum naturam. Ambitus enim corporis benè habet. Est autem pars superioris apotelesmatis: in quo omne genus rerum, quæ ad quempiam pertinerent, continebatur. Ita partitur nunc, vt declaret ea, quæ extra sunt; in sequenti autem, quæ intus.

APO-

APOTELESMA XL.

Membrorum modus alius, atque à natura constitutus, nihil boni pollicetur. peius verò est, si minore sit quantitate, quàm si maiore. Victus in altero euentu augendus, in altero minuendus erit.

CÆSAR.

Coniectores aliter interpretantur: veluti Domitiani gibbum, Neruæ aureã successionem. Caput magnum, principis incrementum. Quoniã caput relatiuè dicatur, alicuius caput, sicut princeps, alicuius princeps: & caput, princeps dicatur, quemadmodum seruus, pedes. Ventrem obesum, paupertatem: iners enim membrum esse videtur, & auarum, aliorum operas in sua omnes absumens commoda. Sic Cæsaris nomẽ si quis somniet, dempta prima litera, pronũciatum, isque Cæsar appelletur: intra centesimum diem obiturum obnunciabant: eúmque diuinis æternæ famæ titulis perpetuò victurũ: propterea quòd, quæ litera adempta esset, centenarium numerum notaret: eum numerum viuendo item absumptum iri, quod reliquum esset, manere. Æsar verò Thusca lingua prisca, deũ significari. sanè etiam Græcus sermo non abhorret: αἶσα enim fatum significat. Est autem fatum ius diuinæ potestatis.

Caluus dimisit illud totum, *Peius verò, si minus sit.* Nempe à priuatione ad habitum difficilior naturæ opera est.

APOTELESMA XLI.

Atræ species ad ægritudinem præmonstrandam propensiores, maius discrimen obnunciant. Mollibus ergo humidísque bona valetudo constituenda erit.

CÆSAR.

Atræ bilis naturam veteres adeò veriti sunt, vt Galenus integrum condiderit commentarium. In tertio De locis malè affectis, eius species persequitur: Item in libro De bonis succis, in secundo De temperaturis, in sexto De morbis & eorum causis, ostendit fieri ex sãguinis adustione. Quare hîc prudẽter mollibus, & humidis sanitas obseruatur.

APOTELESMA XLII.

Omnia item noua, significant mutationem.

CÆSAR.

Vt si Rex, priuatus fiat, aut priuatus, Rex: quòd de Smerdi Cambyses, Astyages de filia, item alia alii somniarunt. Circumfertur & suum Hecubæ somnium. Quæ omnia non ad illorum corpora, sed ad vim, euentúmque fortunæ relata sunt. Matrem meam postridie, quàm me edidisset, sæpenumero prædicantem audiui, vidisse per quietem lintea vniuersa, quibus in arce in qua natus essem, vterentur, igni correpta conflagrasse. inde flammam exisse ingentem cum ingenti sonitu, summásque Alpes Noricas, Rheticas, Ligusticas peruasisse, atque sine noxa perlustrasse: niuem colliquatam, nouam montium faciem ostendisse. Quibus visionibus coniectrices aniculas, quibus tota illa scatet regio, multa ridicula, quæ non ponam, pronuntiasse. At illa per iocum aliquãdo, aliquando per contumeliam me Paridem appellare solita fuit, donec excisis rebus nostris somnii vis prodita est.

APOTELESMA XLIII.

Vita functos nitidos, atque candidatos si quis viderit, bonæ valetudinis argumentum habet. Si quid puri ab his acceperis, ratio parsanum nanque corpus dicitur, sanáque alimenta. A mortuis autem alimenta, & augumenta, ac semina ipsa suppeditantur: quæ si pura in corpus subeunt, edicunt sanitatem.

CÆSAR.

Nunc aggreditur ea, quæ extra somniantem sunt: atque nos ali opera mortuorum: credo, quia non potest alere nos quicquam viuens. Transformari nanque necesse est. Nihil enim duabus formis informatur. At quod alit nos, nostri pars fit, aut iam est. Ergo sub totius forma existit. Quod autem viuit, suum sibi est. Itaque in octauo Pædiæ, vult terræ mandari corpus suum Cyrus: vt ibi mutato eo, aliquid capiant mortales emolumenti. Tangit tria: primum, semina, id est, principia: secundum, alimenta, cùm sunt mutata: tertium augumenta, quæ alimentum consequuntur. Neque enim sine augumento corpus ali potest. Nam quod reponitur, in loco est consumptæ partis. auget igitur. Restituit enim pristinam quantitatem, partem eam, quæ fuerat diminuta. Est ergo nutritio, partis auctio: quia amissi est repositio. Quis autem inter has sit famulatus, vnde proficiscatur, quem in finem tendat, quandiu duret, in septem libris De semine genitali sãtis à nobis dictum est.

Tetigit & id, quod retulit Galenus, sanum corpus, sana alimenta æquiuocé: ita & sanum signum.

APOTELESMA XLIIII.

Eosdem contrario habitu si videas, nudos, aut atratos, aut sordidatos, aut aliquid capientes, aut auferentes ex ædibus: minimè commodum est: Instat enim morbus. Ea nanque, quibus alitur corpus, noxia sunt. Decursu, ac deambulatu curãtur, mollique cibo, leui, postquam vomuerint.

CÆSAR.

Hoc quoque Galenus sensit, sordidos intus, fœtidósque humores contineri: contrà iis euenire, qui inter flores, amœnáq; loca sibi ipsi versari videantur.

Festiuum est, quod dicit, incõmodo esse, si quid ex ædibus auferatur. Sed ex œconomia ductum illud: Nam si mortuos agris comparat ac seminibus, vnde alimenta suppeditentur nobis, idẽ intelligamus, quod nos monet L. Columella, Non esse optimum optimè colere, ne sumptibus deuorentur fructus. Neque enim plus petere debet ager, quàm det: sed vt plus det, satis petere.

Dicit, πεζάγειν, more suo, id est, paulatim. Nos explicuimus, per, modicum. Sic in primo Letalium cõtagiorum, in tertia catastasi, οὐκ ἐν πεζαγωγῆς ἀλλὰ συνεχέα, καὶ βίαια.

APOTELESMA XLV.

Cùm monstrosa corpora in somnis ostendunt sese, atque hominem territant: tum coniicimus, insuetis cibis, atque exuberantibus, grauatos esse nos. Choleram quoque, & morbum periculosum minitantur. Itaque vomitum prouocato: quinque dies cibariis leuibus, minutis acquiescat. Abstinebit ab acribus, siccis, calidis. Laboribus verò, quos natura exigit, præterquam deambulatione, quæ post prandium præscripta sit, exercebitur: Balneis, calidisque perfusionibus, & animi æquabilitate fruetur. A sole, & frigore cauebit sibi.

CÆSAR.

A mortuis ad monstra hîc transit: attribuítque monstris id, quod nos mortuis: bilem scilicet atram indicari. Itaque elephanticis somnia circa mortuos crebra visuntur. Monstrosa autẽ corpora humorum potius perturbationem, sed vtrunque ab vtrisque potest colligi.

Dixit, ἀλλόμορφα: hoc est diuersis induta formis quàm quæ vulgò videntur

Choleræ nomen Galenus multis in locis & frequenter in munero plurali πὰ χολέρας ποιεῖ. In tertio De causis symptomatum dicit naturam excretricem in choleris vti vtroque ore ventris: & superiore ad vomitum: & inferiore ad deiiciendum. Et in primo artis ad Glauconem, Choleræ, inquit, faciunt lipothymiam. In libro autem De victus ratione in acutis scriptum est περὶ χολέρας ξηρᾶς: in qua venter nihil deiicit. In vii Epidem. Choleræ morbi causas materiales multæ enumerãtur. Eiúsque morbi mentio multa in libro De morbis, & in Epidemiis: In prænotionibus, quæ κοινὰ inscribuntur, πὰ λυπηρὰ χολέρας μὴ ἐπιγενομένης οὐ λύεται.

In tertio aphoris. choleram euenire adulta ætate, ibi Galenus quid sit non declarat: sed causam communem apponit, ὡς καὶ χολὴ ἐν φρενιτίδων καὶ πάνων, καὶ δυσεντεριῶν. Hic autem vero similius videbatur esse, à bili atra pendere monstrorum indicationem. Maximè enim conuenit cum monstris, & rebus atris illis. pessimus enim omnium humorum est. Nanque non obedit naturæ: aduersarius lucis: hostis qualitatum vitæ: non audit remedia: non paret consiliis. Ac bilis quidem flaua impetum suum habet: hæc autem contumaciam. Illa sanè leuissima sanguinis pars est, vt in secundo De potestatibus naturalibus scriptum est: Dum coquitur sanguis, neque dum quicquam excretum est, calidissimo ille est simul, & dulcissimus: atque melli cõparatur: postea excernitur bilis flaua, qua erat calidissimus. Quo in loco quidem imprudentiores putarunt bilem flauam, dulcem à Galeno existimari. Et Drusianus monachus doctissimus frustrà scripsit, sanguinem non esse quartum humorem, sed è tribus vnum constitutum. Cæterùm choleræ nomine non solum Paulus in tertio, sed etiam Celsus in quarto, morbum comprehendit, acutum quidem cum vomitu, ac deiectione simul, atque doloribus. Eius meminit sub eodem nomine in libro tertio interpres Auicennæ. Galenus in secundo De alimẽtis: Pepo, inquit, morbum qui dicitur cholera, efficere consueuit, & Dioscorides in capite de cydoniis, de menta, & alibi non semel. Plinio quoque nota vox est: & legitur in prologo libri vicesimitertii, & capite sexto eiusdem, & libro vicesimoquarto, capite tertiodecimo, quibus locis cholericum morbum à cœliaco distinxit: cum dicit dysentericis, cœliacis, cholericis. Quare non rectè faciunt, qui cœliacos vocant eos, quos recentiores cholerica passione laborãtes nominant: quanquam cœliacorum nomẽ aliter ab aliis acceptum est. Nam apud Celsum in quarto, ii sunt, quos ventriculi dolor vrget: neque quicquam demittitur, ac ne flatus quidem. Ad eiusmodi morbum parati sunt ii, quos appellat Paulus dyscœlios: quorũ scilicet aluus difficilior est. vt iã desinãt recẽtiores dysenteriam

difficultatẽ intestinorum nimis imprudenter appellare. Neque enim particula δὺς, hîc significat difficultatẽ, sed detrimẽtum, vt dysparis. sed isti multa inepté: sicut & cum, ileon, voluolum appellant: at, ile, Latinum iam est: item iliacus. voluolus autem morbus nõ potest dici: cuius neque materia, neque effectio voluitur. Paulus autem & Galenus cœliacos dixêre, quibus aluus diffluit. Plinius quoque non semel ex Dioscoride, alióve vnde Dioscorides accepisset: eósque Latina voce Aluiinos dicit libro vicesimo primo & vicesimo quinto. Non est igitur inutilis nominum contemplatio, vt Galenus satagit: sed necessaria. Sunt enim nomina rerum notę: quibus corruptis, intellectionem quoque vitiari necesse est. Vel hoc cœliacorum nomẽ quot nobis turbarum dedit? cùm non solùm diuersa significet diuersis authoribus, sed etiam cõtraria iisdem, medicis scilicet? Et Galen° ipse, qui nomina negligi iubet, quàm laborat, morbúsne, an causa debeat appellari id, quòd naturæ officiis est impedimento. Sed de his suo loco. Hippocrates in libro De morbis interioribus videtur cholericam affectionem inter eos agnouisse, quos vocat typhos. Nanque & à cholera veniunt, & vomunt, & aluo cita sunt. Caluus stuporem inlnimè commoda interpretatione vocat. Nam alia vocali scribitur typhos, quòd significet stuporem, vt apud Aristotelem in tertia particula propositarum quæstionum. Quanquam Plutarchus in libro de Socratis dæmonio, τύφον intelligit væcordiam, & insolentiam. Sed hoc Hippocratico typho laborantes, neque stupidi sunt, & valdè sentiunt, & vehementer commouentur. Quæ fuit causa, vt cum Iliacis morbis coniungeret Hippocrates. Vtramuis igitur bilem intelligas: sanè discriminosa est. flaua effrenis, vti dicebamus, neque naturæ imperio obsequẽs, sua leuitate fertur: itaque expelli nõ potest, nihilo melius, quàm pluma, quæ iactus impetum nequit capere. Eodem quoque modo sputum, quòd leue est, non occurrit pulmonis atque aëris facultatibus, ad expellendum. Quidam euersores literarum negarunt, æquandum esse humorem subtiliorem in morbis, ante quàm educatur: sed illico edendum esse: propterea quòd, inquiũt, per se aptus sit ad expulsionem. Neque sputi comparationem bonam esse: sputum nanque aëris obiectu expelli. At humorem tenuem medicamẽto attrahi, sicut à magnete ferrum: quod quanto leuius sit, tantò facilius trahi possit. Cęterùm opus illud non sola fit attractione: quin expulsione oportet perfici. Si enim expultricis non indigeret, quomodo de ventriculo, aut intestinis deiiceretur humor attractus eò per medicinam? Nunquam enim moueretur. Quare de corpore iam valde affecto clysteres non exeunt: propterea quòd expultrix iam mortua est. Si igitur expultrice opus est, iam argumentum de sputo bonum est. Atqui opus est. Nam de intestinis humor eò delatus si detrahi debet à medicamento, ergo præibit medicamentum, humor sequetur. Aut igitur ab se ipso mouebitur medicamentum, aut ab alio à se: ergo ab expultrice. Igitur si tam grandem massam de intestinis expellit expultrix: intestinorum multò commodius expellere debuit eius portiones particulatim in venis aut membris fusas. Dicent irritatam naturam. Nugæ. eadem natura, idem morbus, eadem potestas. Præterea, plus nocet humor in venis quàm in intestinis. Ibi enim fit morbus. debuit igitur plus irritari. Ad hæc in venis expultrix nobilior est, nobiliorem habet finem, nobilius instrumentum, nobilius officium. Nã & purgat sanguinem: & vena nobilior est intestino: & aut ipsa separat, aut segregatricem secum habet, siue comitem, siue administram. In intestinis nulla fit ab eorum expultrice, separatio: sed deuoluto succo, veriæ quod sibi proprium esse debet, sugunt. Quare si in venis expultrix particulas non expellebat, fuit in causa leuitas, & tenuitas, quam nequibat apprehendere. Vbi autem collectæ sunt in massam, potuit eam exigere. Est etiam experientia. Nam in phrenesi si exhibeas medicamen, minus ac paucius deiiciũt, quàm si sano præbeas. At phrenetico humor tenuior ac subtilior est. Præterea pituitosus per catapotia celerius leuabitur grauedine, quàm phreneticus agitatione. Est exemplum in natura: ferri scobes vento agitata non trahetur à magnete: grandiores grumi vento minus obnoxii trahentur. Sic Austro spirante non potest cogi in vnum nubes à sole attrahente: vbi flare desiit, sol tum cogit sparsas partes: quæ densatæ vbi sunt, & trahi, & impelli queunt. Sic in cursu non sudamus. vapor enim funditur, post cursum attrahitur ad cutem vapor densatus in humorem, & ab expultrice pellitur. In febribus quoque quantunlibet caloris foris apponas, non sudent. dico febres furiosas. At vbi vapor ille densiusculus factus est, sudant. Quare non negamus attractionem faciliorem esse rerum leuiorum: sed impediri propter motum: non posse autem sisti, nisi emendata leuitate & tenuitate. Omnino autem nugas agunt, cùm in operibus medicamentorum tollunt effectionem expultricis: quippe non solùm humorem, sed etiam medicamentum expellere debemus. Quærit Alexander isicum, farciminis id genus est. Athenæus isicia vocat, nos etiam *salcicia*, corrupta voce, nam fuit salisicia: quærit inquam, quam ob causam ægrè coquatur. Ob spiritum, inquit, interceptum inter carnium frustilla leue est, neque occurrit calori: quare etiam in aqua demissum fluitat. Eadem est ratio humoris leuioris.

ῥαδυμίαν modestius animj æquabilitatem interpretati sumus. est enim vitium ῥαδυμεῖν, at æquanimitas virtus, ἐπιείκεια.

APOTELESMA XLVI.

Initer dormiendum qui putat sese cibũ, aut potum solitum capere: is intelliget, & minus capere nutrimẽti, quàm par sit: & animo esse tristiore.

CÆSAR.

Postquam de membris disseruit, de eorum materia statuit, de cibo & potu: ac primùm quidẽ in communi. Hæret autem sententia superioribus. Nam si membrum videbatur minus, egebat nutrimento. igitur nutrimentum quoque minus videbatur per relationem: quoniam comedimus. Addit etiam ἀδυμίλω: quoniã in pauco humido pauci spiritus: in paucis spiritibus animus demissior. Non quòd inde animus dependeat: sed quòd ab ipso illi: quibus vtẽdis, naturæ officio fungatur. Vt hoc quoque modo illud item Herodoti audiamus, in Thalia, Augescente corpore mens quoque simul capit incrementum: atque eo senescente, consenescit.

APOTELESMA XLVII.

Carnes validissimæ maximum excessum significant: tenerrimæ minorem: earum nanque ratio par, & cùm eduntur, & cùm videtur. Oportet his demere de cibo: propterea quòd plurimi alimenti argumentum est.

CÆSAR.

Nunc particulatim à carnibus. Edere, defectũ alimẽti indicat. Apponit causã: cogitatio ducitur naturæ fine. vbi igitur egemº cibi, eius imago in appetitu excitatur. Eadem igitur ratio, & edendi, & somniandi: Ergo sibi contradicit. Nam plus edere, plus egere significat. Igitur & fortius edere, fortius indigere. Galenº quoque nobis astipulatur: qui à siticuloso ægro, scripsit, potationes somniari. Illud quoque laxius locutus est. Nam aut dicendum fuit, minimum, non minorem, vt respõderet alteri superlatiuo, tenerrimæ: aut teneriores, vt responderet comparatiuo, minorem.

APOTELESMA XLVIII.

Panes quoque caseo confecti, somnii eiusdem nacti sunt finem.

CÆSAR.

Nihil enim aut parũ differt cuiusmodi cibi sint: nisi quantùm pertinent ad maiorem, minorémque vim. Dicũtur etiam nunc Italicè *caseomazi*.

APOTELESMA XLIX.

Aquæ puræ potus, bonus est: cætera omnia noxia.

CÆSAR.

Si à defectu somnium hoc metiamur, sicuti superiora: indigentia hìc significabitur: quare videbitur, indicari defectus humoris puri, qui corpori debeatur: itaque bonum somnium nõ erit. Idcirco à coniunctione rei puræ cum corpore sumendum erit argumentum, vt Hippocrati subueniamus: atque ita humoris significabit puritatem, sicuti supra de syderum nitore cùm statuebat. Verùm alia videtur esse ratio. Nanque ibi cœlitus, & ab aëre demittebãtur affectiones: ab elementis autem non item. Dicemus tamen elementorum cum syderibus coniunctionem ita intelligi oportere.

Sed quamobrẽ dixit, cætera omnia noxia? an propterea quòd aquæ tantùm interest potari, olei non item, non aceti, non aliorum? Est enim appetitus frigidi & humidi, sitis. Mirùm verò quare vinum aut oblitus sit, aut reiecerit tanquam noxiũ: nisi putemus vini significatione sanguinis exuberãtiam aut defectũ indicari: quorum vtrunque noxium est. Cæterùm, si cum vino aqua comparetur, & vtrunque ad vitæ nostræ constitutionem conferatur: aquæ natura minus commodior sit: vinum autem proximũ.

APOTELESMA L.

Quibus assueuimus, ea per quietem intuendo, animæ declaramus cupiditatem.

CÆSAR.

Hærent enim diurnæ species rerum appetitarum, quas res vbi anima non est consequuta, adhuc appetere par est: itaque in ipsis etiamnum versatur.

APOTELESMA LI.

Cùm quid præ terrore fugitamus, præ siccitate sanguis in nobis tumultuatur. Refrigerare igitur, atque humectare corpus conuenit.

CÆSAR.

Ita veteres existimarunt, pauorẽ euenire aut à frigiditate sãguinis, aut à crassitie propter motus tarditatem: quorum vtrunque tetigit diuinus Poeta:

Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.

Notauit enim frigiditatem & coitionem. Aut à paucitate. Neque enim laxari à natura ea, quorum ipsa indigens sit: sed parcere, ac metuere ne amittat, quod modicè possideat. Quæ habeatur ratio, quare Galli sint animosiores, itẽ Sarmatæ, Britanni, Germani, Scythæ, Thraces, Syris, Arab. Indis, Mauris, vt aiunt. Verùm vt ita res sit, at eam paucis nimis colligunt argumentis, ac magnam sané. Illorum nanque sanguis, vt multus, ita dilutus: quippe post primæ impetum æstuationis deferuescit, his contrà accenditur. Pertinacissimè verò mortem obeunt in pugna Mauri atque Indi, etiam in tela ruunt, tum lanceis transfixi prorsus sese

sese induũt, vt hostem cominus cõtingant. Sic ab animantibus quoq; quas illæ generãt regiones, argumentum licet sumere, Leonibus, elephãtis, viperis, tigribus, rhinocerotibus: qui pro ludo & pila vrsos habent, quod est tamen nostratium omnium fortissimum animal.

APOTELESMA LII.

Cùm pugnam committere, atque extimulari, aut vinciri videmur: tunc aliquid superflui corporis functionibus aduersari deprehendimus. Tollit id vomitus, deambulatio, leuioribus cibis attenuatio: quos post vomitum dies quinque continuabis.

CÆSAR.

Idem Galenus, Cùm grauari videmur, nec mouerí quimus, & onere grauati premimur. Quod & doctissimus Poeta in quadam ostendit cõparatione. *-in mediis conatibus ægri*
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec mens nec verba sequuntur.

Morbi genus est, aut potius affectionis ephialtes, quasi assultorem dicas: multarum ea pestis index, ac præuia ægritudinis: haud dissimilis huius affectionis quæ describitur hìc: à pondere & pressione dictum putant. itaque Gigãti cognominem voluêre: cuius meminit Plutarchus in libro De fuga. Paulus mauult ab eo, quòd resiliant qui premuntur. Latini ab oppressione, concinna voce incubum: sicut à suffocatione Græci πνιγάμονα: à Themisone πνιγαλίων. nam & Dioscorides vocat πνιγμοὺς ἐνυπνίων.

APOTELESMA LIII.

Si quis errabundus, siquis cliuos superare sibi videatur: difficile quippiam naturæ suæ incommodare intelligat.

CÆSAR.

Humores enim rectà in suum quisque locum, vti debent, non transmittuntur, si vagari somniet. In nixu quoque, atque ascensione violentus est motus. Cùm enim duo in nobis sint motus, elementaris, & voluntarius: elementaris perpetuus est, & aggrauat interdum voluntarium. semper enim deorsum trahit. Cùm igitur scandimus, curuato crure tibiam perpendiculo statuimus, super quã trahamus corpus totum directò staturum. Ergo est violentus simplici naturæ motus. Hinc colligimus falsum esse, quod aiunt, descensionis motum de cliuo multò esse difficiliorem. Alterum enim in eo crus semper directũ est, in quod innitaris: in ascensu curuum vtrunque.

APOTELESMA LIIII.

Fluuiorum transitus, hostes armati, mõstra difformia, aut morbi, aut furoris præsagia sunt. Qui his sunt præuenti, iuuantur victu tenui, leui, delicato, vomitu non violento, ad dies quinque laborum frequentia, quos exigit natura: verùm his post cibum abstinebit. Balneum, & desidiam, & solem, & frigus cauere debet. Horum enim vsu, quemadmodum dictum est, bona poterit valetudo comparari.

CÆSAR.

Per transitum fluuiorum, morbum notat. humor enim putredinis parens, putredo morbi.

Distinxit furorem laxè nimis, à morbo. At equidem arbitror furorem maximum morborum esse. verùm veteres animi vitium putarũt, furorem: morbum corporis. hoc rectè, illud non rectè. nã si animus furit ergo interit. M. Tullius in libro 1. De diuinatione latius disserit: ac tandem definit sic, Cùm à corpore animus abstractus diuino instinctu concitatur. Sed hìc furor ille ab insania distinguitur, vt ait in tertia Tusculana: quare æquiuocè vtitur hoc nomine idem. Nam in septima actione in Verrẽ, furorem, sceleris & audaciæ comitem vocat. Sic Clodium, sic Catilinam furere dicit.

Difformia, nõ deformia, vt ait Caluus, ἀλλόμορφα, non κακόμορφα, aut ἄμορφα, aut δύσμορφα, scilicet aliena specie, vt si leoni formosissimum virginis os imponatur.

Caluus idem, calda lauato, desideto. Sed præterquam quod codex repugnat Græcus, subest quoque ratio, ne sibi, néve naturæ contradicat. Exercitium bonum, moderatum tamen: item vomitus. ergo desidia, & inimica, & noxia.

Malè videtur ignem cum aqua coniunxisse. Aqua à fluuiis, ignis ab hostium capitur impetu. Quare inde morbos à putredine, hinc furorem ab inflammatione minitatur. Ex monstrorum confusis formis dissidiũ naturæ interioris proponit. Sic lis & amicitia ab Empedocle & Democrito & Epicuro pro principiis statuuntur. Sic Orpheus è Chao Amorem primùm emersisse, atque Phanetem appellatum.

EPILOGVS.

Hæc est viuendi ratio, quæ pro humano captu, Dijs bene iuuantibus, à nobis est instituta.

CÆSAR.

Bonus medicus, insignis orator, pius vir. Nam & docuit nos vitæ rationes, & lactea demulsit oratione, & sementẽ fecit in procemio, eorũ quæ excoluit in tractu commentarii, quæ colligit in

epilogo. Sed quàm moderatè, quàm prudẽter? pro humano, inquit, captu. Nam ei qui contradicat, meminerit hominẽ esse se. Hæc fuit lex Pyrrhonis, & Aristonis, hæc nouorũ Academicorum: illi, nihil profiteri, hi nihil certi statuere. Addit & pietatem: Deorum opẽ, sine qua nulli sanè sumus. Commendat opus à præstantia, cùm dixit, rationẽ. A modestia animi, cùm dixit, se hominem. A perfectione, cùm dixit, non sine Deo optimo maximo sese hæc perfecisse. ipse sanè diuinus vir, qui & nos doceat, & quo pacto, quibus opib⁹ fretus docet, hoc quoque doceat: vt non immeritò maximus vir Galenus, nunc admirabilem, nunc principem sciẽtiarum, nunc bonum, nunc benignum, nunc veritatis parentem vocet: in primo autem libro De officiis membrorum, eius sententias etiam Dei vocibus comparat.

FINIS.

GRATIAS TIBI DOMINE IESV.